DE

SOPHOCLE SUAE ARTIS AESTIMATORE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
PRO SUMMIS
IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
IMPETRATIS
DIE VIII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXII
H. L. Q. S.
UNA CUM SENTENTIIS PROPOSITIS
IN PUBLICO DEFENDET
QUI SCRIPSIT

GUSTAVUS WEICKER
LUSATUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT
G. THILO, PHIL. DR., PAED. REG. COLLEGA.
R. ROSALSKY, **M. WEICKER** — SCHOLAE LATINAE COLLEGAE.

HALIS SAXONUM
FORMIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

PRAECEPTORES

QUI PUERUM IN SCHOLA LATINA INSTITUERUNT

SALVERE IUBET

PIUS AC MEMOR DISCIPULUS.

Lessingius in eo libro quem de Sophocle inchoatum reliquit[1]), quae erat eius sagacitas atque doctrina, hanc viam videtur instituturus fuïsse, ut quae veteres de Sophocle tulerunt iudicia colligeret, quibus dispositis viam sibi muniret, qua ipse Sophoclem poetam nobis informaret: quod quidem officium executurus erat libro operis secundo[2]). Verum cum omnino dolendum sit, virum eximium huic libello extremam manum non adhibuisse, tum ipsius libri primi qui solus litteris mandatus habetur eae quaestiunculae quae in posteriore parte positae sunt leviore sane calamo videntur exaratae. Itaque accidit, ut qui vir propter eximiam et doctrinae copiam et subtilitatem iudicii facile prae ceteris veterum de Sophocle iudicia illustrare poterat, is vix pauca atque ea satis levia afferret. Nam quod ab eo commemoratum legitur ipsius Sophoclis de arte sua iudicium traditum a Plutarcho[3]), id nescio quem delapsus in errorem Sophocli abrogatum ad Euripidem revocavit. Illo autem loco quem quaestioni de Sophoclis iudicibus proprium destinaverat solius Vergilii versus quibus poeta Romanus Pollioni ut blandiatur Sophoclis mentionem inicit[4]) adscripsit: non quo munere functurus suscepto Sophoclis iudicem quendam induceret, sed veritus ille, ut videtur, ne remotis in posterum his versibus illa quoque omissurus esset quae de prosodia nominum Sophoclis atque Euripidis observaverat. Quamquam haud scio an Lessingius, etiamsi perfecisset

1) Operum (forma XII a) vol. X. p. 1 — 149.

2) Videantur quae annotavit Lessingius sub litteris MM. NN. atque ipsius Vitae loci ad quos illae annotationes referuntur.

3) Notissimus est Plutarchi locus de profectu in virtute c. 7, de quo Lessingius disputavit l. l. p. 49. n. H., nos infra sententiam proferemus.

4) En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
Verg. Ecl. 8, 9. 10.

librum, non multo melius in hac quidem operis parte versaturus fuisset. Quamvis enim plurima adiecisset veterum testimonia: erat tamen summi viri et critica laude florentis elaborare in studiis antiquitatis non modo ut ipsum antiquitatis ingenium illustraret, sed potius ut reconditas doctrinae opes in lucem protraheret purgaretque a maculis quas falsis aut perversis doctorum indoctorumque hominum studiis induerant. Neque id tam hominis culpa accidit quam aetatis. Quae enim erat illo tempore studiorum ratio, ad concipiendam animo unam aliquam imaginem, qua propria tum Graecorum tum Romanorum exprimeretur artis indoles et consuetudo vitae, nondum sunt ausi viri docti aspirare, sed variis atque plurimum saepe aberrantibus quaestionibus, quamvis iis et diligentissimis saepe et argutissimis, detinebantur. Haec cum facile probentur intuenti qui fuerit per haec triginta lustra in Germania potissimum studiorum decursus, nos tamen non ad universalem quandam normam disputamus, sed ipsius Lessingii docemur libro. Is vero quemadmodum quaestioni de Sophoclis iudicibus vix inchoatae annotationes quasdam prosodicas subiecit, sic statim in minorem etiam locum detrusus, ut quibus poeta Graecus ornatus esset cognomina colligeret [5]), ubi e vetere Vitae Scriptore atque e Suida atque etiam ex Phrynicho Arabio quaedam congessit, iam Mureti locum e libro Variarum Lectionum primo affert, quo usus iudici veteri refragetur. Atque hoc sane proprium est Lessingii genus disserendi, ut vagatus per amplissimum orbem litterarum ubi quam plurimas copias congesserit, tum in loco vel minimo se defigat, in quo aut doctrinam ostendat aut exerceat acumen. Vitio autem illi ut hanc rem vertamus, quantum absit in eo praecipue libro, cuius discerptas reliquias Lessingium ipsum non nisi novo labore auctas et dispositas editurum fuisse certo licet asserere: vel inde intellegitur quod ei aequalium rationem studiorum excusamus. Verum accessit sane ista scribendi ratio propria Lessingii, qui nisi a quibusdam partibus vituperandus maneret, ab aliis iisque tam multis non ita extitisset laudandus. Tulit enim hoc munus eius, qui criticis armis instructus viam patefaceret et antiquitatis studio meliori et Germanorum litteris nova incrementa capturis, ut infinitis concertationibus

---

5) l. l. p. 137. sub litt. NN. —

defessus aeque ac lacessitus, quo ipsum adversariorum ardor ac pugnae necessitas vocaret, eo abreptus certandi studio se converteret. Itaque cum nusquam diuturniore perfrueretur otio ad perficienda ingenii opera aliquanto maiora [6]), in singularibus quaestionibus princeps criticorum extitit.

Jam vero quod ille susceptum modo abiecit munus, id in me recepturus eram, ut adiutus eorum qui illum et secuti sunt et excesserunt studiis in antiquitate magno cum fructu collocatis iudicia veterum de Sophocle collecta explicata disposita iam ad iudicum aetates atque ingenia referrem. Verum offecit, quominus quae proposita erant protinus ad finem perducta exhiberem, molesta quaedam et anxia sedulitas, qua et ipse, ubi rem in transitu attigisse sufficiebat, quaestionibus subito iniectis diutius immorans sevocari me a capite et summa rei ac distineri plus aequo patior. Accedebant autem ad importunam hanc consuetudinem, quam sentimus facilius quam relinquimus, difficultates haud exiguae quae in ipso argumento positae sunt. Conspectum enim edere iudicum et iudiciorum, qualem dudum paraveram, antequam rem a Ferd. Schultzio V. D. tractatam esse cognoscerem [6 b]), iam nullius fere negotii est: verum obortae sunt de multis causis virorum doctorum controversiae, quas qui respicere nolit, manum potius de tabula retineat. Ac maxime quidem idque etiam nuperrime in discrimen vocata sunt, quae ipse Sophocles de arte tragica sua item atque de Aeschyli et Euripidis virtute poetica vociferatus est. Sic **de Sophocle suae artis aestimatore** quaestio offertur, quae et peculiari cura digna videatur et novas, ni eventu deterrear, studiorum vias mihi aperiat.

De **Sophocle** autem suo ipsius aestimatore ordiendum erit, si quis quid veteres de illo censuerint enarrare velit. Dixerit sane quispiam, etiam ante ipsum poetam iudicatum fuisse de partibus nonnullis in quibus ars illius constiterit tra-

---

6) Nimirum de fabulis scenicis quarum principes summa adhuc laude florent, in hac quaestione non commemoratur. Librum vero Laocoontis nomine ornatum aeque ac alium quo Didascaliae Hammonienses continentur, alios denique commentarios multos non ad eum finem perductum esse, qui erat praescriptus: ex ipsis eis libris satis constat.

6b.) Ferd. Schultz de vita Sophoclis, c. XV. p. 163 sq.

gica: primum enim fabulas multarum tragoediarum ab aliis ante Sophoclem poetis in scenam commissas esse, quarum ille imitatus sit victrices, victas aut reliquerit aut non nisi suo ingenio refictas docuerit; dein autem universae artis tragicae nullam existere potuisse consummatam virtutem non praecedentibus initiis, quorum optima quaeque is qui secutus sit poeta in suae usum artis converterit. Verum illam et ipsi Sophocli cum vetustioribus tragicis intercessisse necessitatem cum per se pateat, ut vix opus sit monitu Scriptoris Vitae Aeschyleae [7]): tum hoc alterum difficillimum est inquirere, immo explorari iam nequit, quid e Thespidis Phrynichi Aeschyli arte aut reliquerit Sophocles aut assumpserit populari iudicio monitus, quid suo ingenio quasi divino spiritu inflatus. Neque omnino ad medicorum artem confugiendum est poeticorum operum aestimatori, ut naturali nexu ac necessario soluto operum partes separatim observatas in iudicium vocet: praesertim cum ne illi quidem viri observandorum corporum ac dissecandorum rite peritissimi, quas partes mortui corporis ac vita defuncti probe secernere queunt, eas antequam ortum sit animal propria vi ac vita fruens aut separatas observare possint aut coniungere ut fiant causae vivi animantis. Quodsi in rerum natura materiae quae non iam ad effingendum unum ac totum corpus compactae sint, in singulas partes divelli nequeunt: artificiorum quae a poetis eduntur partes, quae ponuntur in argumento vocabulorum delectu collocatione verborum versuum compositione actione denique atque scenica arte, antequam ad totum aliquid edendum concinerint, aut omnino non sunt aut non illius artificis, ad quem totum quod oriturum est artificium refertur. Itaque missam facimus quaestionem, num quid iudicatum fuerit de iis quae in Aeschyli arte communia videantur cum Sophocle: nisi quod nonnullae partes quas ipse Sophocles significavit infra erunt attingendae. Illud autem quod iam posuimus, Sophoclem non ab ipsis tragoediae incunabulis, sed a politiore arte multisque numeris ab-

---

7) Vit. Aeschyl. Ὅτῳ δὲ δοκεῖ τελεώτερος τραγῳδίας ποιητὴς γεγονέναι Σοφοκλῆς, ὀρθῶς μὲν δοκεῖ, λογιζέσθω δέ, ὅτι πολλῷ χαλεπώτερον ἦν ἐπὶ Θέσπιδι Φρυνίχῳ τε καὶ Χοιρίλῳ εἰς τοσόνδε μέγεθος τὴν τραγῳδίαν παραγαγεῖν, ἢ ἐπ' Αἰσχύλῳ εἰπόντα εἰς τὴν Σοφοκλέους ἐλθεῖν τελειότητα.

soluta ad suam fabularum praestantiam processisse, ne ipse quidem negavit poeta idemque poetae iudex Sophocles.

Sophoclis enim cum tres potissimum ferantur voces, quibus suam de arte sua significavit sententiam, ad comparationem Aeschyli una, altera ad Euripidem pertinet; tertio denique iudicio complecti videtur poeta, quos ipse gradus artis ac progressus percurrerit. Nam praeterea quae traduntur Sophoclis in Euripidem lascive dicta [8]), his non poetae notantur peccata, quibus comparatis virtutes Sophoclis elucere possint, sed libidines hominis incontinentis. Illorum vero locorum, quibus de arte tragica continentur iudicia, accuratius oportebit inquirere in sensum, ut intellegatur, quas potissimum in partes aut Euripidis aut Aeschyli aut ipsius Sophoclis sit acus illarum vocum defixa.

Ac primum quidem Sophoclis iudicium quod legitur e Chamaeleontis libro *περὶ Αἰσχύλου* ductum apud Athenaeum I. 22. A. (simili autem modo ab eodem narratur X. 428. F.) satis opinor facile est intellectu: *μεθύων δὲ ἐποίει τὰς τραγῳδίας Αἴσχυλος, ὥς φησι Χαμαιλέων. Σοφοκλῆς γοῦν ὠνείδιζεν αὐτῷ, ὅτι εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιεῖ, ἀλλ᾽ οὐκ εἰδώς γε.* Sola enim quae exoriri potest controversia, sintne haec acerbe in Aeschylum dicta necne, ea facile dirimitur [9]). Ut enim concesseris, animo non infesto Sophoclem haec coniecisse in poetam natu maiorem, manebit tamen ambiguam esse laudem et sub qua vituperatio lateat. Pondus vero eius sententiae videtur nimis auxisse Ed. Muellerus [10]), qui Sophoclem ait

---

8) Athenae. XIII, 604 F. 557 E.

9) Praeterea quod quis quaesiverit, vocabulum quod est *τὸ δέον* quid significet, id paullo post exponetur.

10) Ed. Müller, Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten, vol. I. p. 224. n. 3. — Iusto autem levius, ut mos fert declamationum, munere aestimatoris defunctus est Aug. Guil. Schlegel (Vorless. üb. dramat. Kunst I. p. 169) hisce: „Dieser (sc. Sophocles) that über ihn (Aeschylus) den Ausspruch und kündigte sich damit als einen denkenden Künstler an: „Aesch. thue wohl das Rechte, aber ohne es zu wissen“: einfache Worte, die jedoch ganz das erschöpfen, was wir unter einem bewusstlos wirkenden Genius verstehen.“ Videtur sane maior iste fratrum Romanensium qui vocantur non tam sensum perspicue aperire voluisse, quam auditorum aures Vindobonensium permulcere, quorum amplissima ac splendidis-

significasse, Aeschyli fabulas, etsi rectiorem omnino finem spectent quam humi repentes Euripideae, tamen nec modum semper servare nec viam praescriptam et inchoatam in singulis quibusque partibus continuo tenere. Quae quam recte per se iudicata sint, alibi fortasse exponam: Sophoclei autem illius dicti quem vult esse sensum Muellerum magis inculcasse verbis quam inde explicuisse, eo certius nobis persuadebimus, quod facile cognoscimus vocem illam a Chamaeleonte traditam non certo consilio usurpatam esse, sed occasione oblata per facetias sermonis leviter iniectam. Id qui concinne exposuit Theod. Bergkius [11]), totius sententiae vim apte ponderatam ita exhibuit, ut iudicaret, Sophoclem non modo ingenio confisum, sicuti Aeschylum, quae decerent in scribendo secutum esse, verum etiam rationem mente tenuisse et apte eloqui valuisse [12]). Cavendum enim est, ne quis verbis apud Athenaeum proditis nimium insistens a vero iudicii sensu aberret, quasi Aeschylus omnino scire negaretur se recte fabulam instituere. Immo illum sibi certe recte agere visum esse oportebit ut statuamus, quod si aliter censuisset, consentaneum fuit eum priore consilio abiecto novam protinus atque aliam rationem artis tenere. Accedit quod Aeschylum nimia fere confidentia sui elatum aegre Sophoclis legimus [13]) tulisse victoriam. Ex his sane conficitur, etsi non disertis verbis expressum est, Aeschylum non ideo notari, quod omnino se recte agere nesciat; sed haec ignorare dicitur, quibus in partibus constent quasque ob causas posita

---

sima corona stipatum se declamavisse quod gloriatur (l. l. praef. IV—VI), haud scio an sibi magis quam illis blandiri voluerit.

11) Bergkius in comm. de vita Sophoclis praemissa tragoediarum editioni Lips. 1858. p. XIX. n. 77: „Aeschylum in scribendo largius vino se invitavisse credibile est, quod Sophocles qui erat sobrius improbans potuit ea occasione usus ista dicere, quae omnino verissime dicta sunt."

12) Idem l. l. p. XXV. §. 8 extr.

13) Legitur apud Plut. Cim. c. 8 extr., cui ne temere adstipulemur, moniti a Bergkio (p. XIII b.), etsi concedimus de tempore itineris Siculi non prorsus constare, hoc tamen tenemus, Aeschylum quod popularibus parum sibi videretur probari, offensum ac paene iratum fuisse. Cf. praeter Plutarchi locum quae congessit Bernhardyus Hist. litt. Graec. vol. II. 2. p. 230 s.

sint ab ipso ea quae recte habeant[14]). Itaque Sophocleo iudicio vereor ut infelicius quisquam usus sit Lessingio, qui hanc vocem nimis ad verbum interpretatus causam esse voluerit cur neget verum esse quod Scriptor Vitae Sophocleae tradidit: *παρ' Αἰσχύλῳ τὴν τραγῳδίαν ἔμαθεν:* quomodo enim doceri potuisse tragoediam ab eo qui ipse nec didicerit nec noverit?[15]). At facile deprehendis, Lessingium sic ultra modum exaggerasse utriusque loci vim, ut repugnare cogantur ea quae recte intelligenti optime conveniunt. Hanc enim narrationem a Vitae Scriptore traditam etsi recentiores quoque nonnulli paene ad vivum resecuerunt, tamen ita veram esse concedimus, ut etiam praeter progressum illum artis atque necessitatem quae sponte intercesserit inter poetas aequales eidem Musarum studio deditos familiaritatem quandam Sophocli cum Aeschylo per aliquod certe tempus fuisse statuamus eamque ab artis usu minime alienam: cuius imaginem lepide atque urbane depictam Bergkius instituit[16]), quem cum in illis quae inde confecit prorsus assequi non possimus, in hac parte omnino sequimur auctorem.

Iam vero acriores interpretum disputationes ortae sunt de altera Sophoclis voce, quam apud Aristotelem legimus: *οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη, αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δ' οἷοί εἰσιν*[17]). Ut mittamus si quae antea a viris

---

14) Quid sit medium illud scientiae atque inscientiae, praeclare habemus expositum a Platone Symp. p. 202 A. *ἢ οὐκ ᾔσθησαι ὅτι ἔστι τι μεταξὺ σοφίας καὶ ἀμαθίας; Τί τοῦτο; Τὸ ὀρθὰ δοξάζειν καὶ ἄνευ τοῦ ἔχειν λόγον δοῦναι οὐκ οἶσθ' ὅτι οὔτε ἐπίστασθαί ἐστιν, — οὔτε ἀμαθία; — ἔστι δὲ δήπου τοιοῦτον ἡ ὀρθὴ δόξα μεταξὺ φρονήσεως καὶ ἀμαθίας.* Quodsi Plato medium illud accuratius circumscribit *οὐκ ἐπίστασθαι*, Sophocles cum familiarius loqueretur, neglecto delectu verborum facile poterat *οὐκ εἰδέναι* dicere. Illa autem quae a Platone *ὀρθὴ δόξα* nominatur, ipsa est virtus eademque imbecillitas Aeschyli, qui ingenio quasi abreptus poeticae artis non in cognitionem, verum in divinationem eamque sane verissimam ferebatur. — Hinc iam intellegitur, Schlegelium (v. s. n. 10), etsi ad verbum interpretatus sit, minus perspicue tamen explicuisse: „A. thue wohl das Rechte, aber ohne es zu wissen;“ luculentius sane debebat interpretari: „ohne zu wissen warum“ seu „inwiefern.“

15) Lessingius l. l. p. 48 n. 5.   16) Bergkius l. l. p. XIV ss.

17) Aristot. poet. c. 25, 11 ed. Herm. *πρὸς δὲ τούτοις, ἐὰν ἐπιτιμᾶται, ὅτι οὐκ ἀληθῆ· ἀλλ' οἷα δεῖ· οἷον καὶ Σ. ἔφη κτλ. ταύτῃ λυτέον.*

doctis explicandi causa in hunc locum congesta sint: in disceptationem vocata est ea sententia, cum seculo hoc priore Gallis, qui quidem soli Aristotelem sibi videbantur eiusque de arte poetica intellexisse doctrinam, Lessingius coepisset refragari. Commemoraverat enim de dicto illo Sophoclis Dacierius, quem Lessingius hanc in mentem abiisse tradit, ut contenderet Sophoclem, cum personas institueret quales esse deberent, maluisse illa effingere ad quae homines ingenui ac liberales aspirarent, quam quae illi, ut in rerum natura, facta ederent[18]). Anglus contra Hurdius, commentatus ille in Horatii Artem Poeticam, cum de veritate dissereret poetica, iudicium ab Aristotele traditum sic erat interpretatus, ut, relictis propter varium ac multiplicem vitae usum finibus iis quibus fere continentur qui paucos tantum homines neque eos cum aliis comparatos noverint, intellegeretur Sophocles totius generis humani ad imaginem quandam animo adumbratam evolasse; Euripides autem, quamvis maxime philosophiae deditus quae universalis vitae poterat esse magistra, tamen quoniam intra Academiae fines tempus vitamque degisset, ad speciem paucorum quos nosset hominum sic protinus fabularum mores ac personas descripsisse, quae etsi propter similitudinem unius cuiusdam hominis verae cuipiam viderentur, nihilominus destitutae fuissent universali illa veritate quae lege artis postulabatur[19]). Lessingius igitur utrique superveniens propius sane accessit Hurdio nec tamen ipse videtur tetigisse acum. Primum enim negavit mores omnino perfectissimos pertinere ad eam generis humani notionem quae existat ubi in comparatione multorum talium quales fere sunt hominum, relictis singulorum propriis aut vitiis aut virtutibus, ea tantum secreveris quae omnium sint communia: idque iure negatum esse facile illi concedes. Verum idem iam alterum quoque negat, eum poetam qui perfectos hominum mores in fabulis exhibeat Sophoclis esse similem. Ergo quoniam positum est, morum perfectionem alienam esse ab universali generis

---

18) Dacierii apud Lessingium (in Didascc. Hammonn. quae continentur Operum vol. XXV. p. 296 ann.) leguntur haec: Sophocle tâchait de rendre ses imitations parfaites, en suivant toujours bien plus ce qu'une belle nature était capable de faire que ce qu'elle faisait.

19) ibid. p. 295 s.

humani notione, Sophocleam vero descriptionem alienam a perfectione illa, tertia autem morum adumbrandorum ratio Lessingio quidem non proponitur, sponte confeceris Lessingium ipsum Hurdio assentitum mores in Sophocleis fabulis ita institutos putavisse, ut conveniant cum universali illa aut hominis notione aut virtutis aut vitii, quam inductione singulorum philosophi colligi dicunt[20]. At tu hac in re iterum dolebis criticorum principem non executum esse munus cui videbatur se accincturus fuisse, cum huic rei uberiore disputatione opus esse diceret quam quae angustis annotatiunculae finibus comprehenderetur[21]. Ut enim speciem veri prae se ferant quae a Lessingio prodita sunt, tamen quae fuerit sententia Sophoclis ab illo non perspectum est. Poeta quid sibi voluerit, haud scio an nemo rectius diiudicaverit quam Ed. Muellerus: Sophocleos mores, etsi perfectae virtutis exemplaria nec fuerint neque esse ullo modo debuerint, tamen altius aliquid spirare et quod tragoediam proprie deceat[22]. Hanc igitur sententiam ipso ex Aristotele comprobare oportebit.

---

20) l. c. p. 296 annot.

21) ibid. p. 297 ann.

22) Iudicavit hac de re Ed. Muellerus, quocum nobis plane convenit, in libro quem supra laudavimus, tom. I, p. 223, n. 3: „Obwohl aber selbst „Lessing Hurd beizupflichten scheint, so kann doch unmöglich dieser Sinn „in die Worte gelegt werden, und wenn Lessing behauptet, „„der Dich„„ter, welcher die höhere moralische Vollkommenheit seinen Personen bei„„legt, schildere umgekehrt mehr in der Manier des Euripides, als des „„Sophokles,““ so kann auch diess nicht zugegeben werden. Allerdings „aber ist an Vollkommenheit im streng moralischen Sinne bei den Worten „*οἵους δεῖ* auch nicht zu denken.“ Luculentius etiam idem exposuit p. 17: „Damit wollte Sophokles aber gewiss nicht den Ruhm sich zueignen, der „keiner gewesen wäre, dass er nichts als Musterbilder moralischer Voll„kommenheit aufstelle; — wie wenig sind diess auch die Charactere in den „Sophokleischen Tragödien! — wohl aber, dass es im Ganzen Bilder der „edleren, erhabeneren Menschheit seien, die er entwerfe, wie sich diess für „den Tragödiendichter zieme, während Eur. die Menschen in aller ihrer „Gemeinheit und Schlechtigkeit, das Niedrige und Kleinliche des alltäg„lichen Lebens uns vor Augen stelle.“ — Similem vero videtur significare sententiam Bernhardyus Hist. poes. Graec. II. p. 292 (cur. II). Qui cum Euripidem quidem notatum intellegat, quod studio quodam ad humilis vulgarisque vitae condicionis imagines trahatur (p. 359), Sophoclis laudes quae in descriptione morum honestorum liberalium ingenuorum ponuntur, etsi revocat ad imitationem Homeri (p. 305), illustrat tamen exemplo Ari-

Apparet autem, cardinem rei versari primum in interpretando vocabulo quod est δεῖ, dein in iis quae ad orationem iusto breviorem et quasi abruptam forte suppleveris. — Ac Dacierius quidem facile intellegitur Sophoclem accipere dicentem homines quales esse debeant, suppleto εἶναι; illud autem, quid sit τὸ δέον, regulis quasi virtutis vult praecipi. Hurdii vero sententia etsi ex ipsis philosophi vel poetae verbis haud facile extorqueatur, poterit tamen ad similitudinem quandam illorum sic fere reddi: fingi a Sophocle homines tales, quales necesse sit ut plerique hominum esse cogitentur. Nam quod eum Lessingius Germanice exprimit interpretantem „die Menschen, wie sie sein sollten," id ne ei quidem explicationi quam ipse addit conveniens est. Cui ut interpretatio congruere videatur, debebat non εἶναι suppleri, sed (οἵους δεῖ) ἡγεῖσθαι sive ὑπολαμβάνειν seu tale quid. Id enim quod est τὸ δέον revocatur ab Hurdio ad veritatem quam mediam quodammodo esse inter res in utramque partem diversas aut usu cognoveris aut cogitatione confeceris[23]). Hurdius igitur intellegit τὸ δέον non id quod deceat, sed quod verum ac necessarium esse inductione quadam colligatur. Ea num vocabulo Graeco inesse possit significatio, etsi nemini opinor non ambigitur: nolo tamen

---

stotelis poet. c. 3 (μιμοῦνται γὰρ ἄμφω σπουδαίους): quem locum a nobis non nihil facere infra evincemus. — Bergkius porro quod protulit iudicium l. c. p. XXXVI[b.], Muellero a nobis expresso prope ad verbum congruit. Iudicat enim, Sophoclem cum semper in moribus ingeniisque hominum fingendis et describendis eximius fuisset, iam consummata arte omnia plane ad veritatem adduxisse, ita tamen ut tragoediae dignitatem servaret: quemadmodum Dionysius Halic., qui a Bergkio laudatur, Σοφοκλῆς, inquit, ἐν τοῖς πάθεσι διήνεγκε, τὸ τῶν προσώπων ἀξίωμα τηρῶν. — Ceterum nuperrime Alb. Lindnerus, a quo „Cothurnus Sophocleus," qui inscribitur libellus, adumbratus est (Berol. 1860), subtiliter sibi visus est discernere (p. 13) „wahre Menschen und wirkliche." Hoc autem nomine quomodo appellare potuerit, quos ipse dicit aetatis artibus et auctoritate iam fucatos, vix intellego. De illo vocabulo non repugno: quamquam verbis parum proficitur. Neque vero opus illi erat ad vernaculum sermonem confugere. Possis sane eodem iure discernere, Sophocleos mores esse eorum, qui vere homines sint, Euripideos quales re vera sunt. Verum nolo equidem ludentem vocabulis insuper ludere: id ipsum quaeritur, qui sint isti vere homines: accuratiorem igitur res poscit disquisitionem.

23) Cf. Lessingium l. c. p. 295, quaeque ab eo in superioribus libri partibus de Hurdio exponuntur.

omnino negare hac potissimum in voce, quae cum iis qui Sophoclem audirent sermones serentem facilis fuerit intellectu, legentibus nobis videtur obscurior et in qua audaciora etiam interpretum artificia specie quadam commendentur. Tutior sane videbitur, siquidem ad grammaticas tantum rationes iudicium exigitur, Dacierii interpretatio, quia verbum quod est δεῖ latino quod est ***debere*** apte vertitur, et facile suppletur εἶναι. Eadem vero unde labefactetur, infra videbimus. Quamquam ne grammatico quidem non poterit tertia atque alia non magis probari ratio, ut nullo supposito vocabulo ipsum id quod legitur ποιεῖν subintellegatur ad id quod praecedit δεῖ, itaque dicatur Sophocles αὐτὸς ποιεῖν, οἵους δεῖ sc. ποιεῖν. Iam τὸ δέον neque ad morum praestantiam cogimur revocare neque ad veritatem quandam mediam: immo id quod decet fingere illud est quod conveniat regulis quibus tenetur ποίησις eaque tragoediarum. Ergo haec efficitur Sophoclis sententia, quam paullo copiosius reddas: οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη, αὐτὸς ποιεῖν, οἵους αὐτὸν ποιητὴν ὄντα (τραγῳδιῶν) δεῖ ποιεῖν: eamque sententiam prorsus convenire ei quam supra posuimus, sponte apparet. Sic vero ubi locum interpretatus sis, hoc quoque facile intellegitur, omissis vocabulis quae idem fere sonant quomodo Sophocli licuerit brevius dicere: illa vero quae Hurdius ac Dacierius explicandi causa repetunt, Sophocles aut omnino non cogitavit aut diserte dicere debebat.

Verum quoniam difficile est criticorum genus et cui vix persuadeas uno argumento allato, plures iubebimur rationes suppeditare quibus nostram commendemus sententiam: hac potissimum Sophoclis in sententia explicanda, in qua, ut est brevis et quasi abrupta, ne nos quidem potuimus negare aliis quoque locum esse interpretationibus. Nova igitur via num ad eundem finem perveniamus, experiendum erit: ut quaeramus, quam in partem Aristoteles videatur Sophoclis accepisse sermonem. Quoniam vero ne hac quidem de re omnino constat inter viros doctos: ne irretiamur huc illuc tracti a criticis praeeuntibus, caute erit procedendum.

Ac primum quidem id agitur, ut qui sit nexus ac sensus loci Aristotelei aperiamus. Oportebit igitur libri de arte poetica totum caput 26 et si qui alii loci opportuni videantur in disceptationem vocare. Iam hoc in negotio infelicius sane rem

gessit Godofr. Hermannus. Ille enim in commentariis ad caput XXVI scriptis, primum quod paragraphos 26—32 postea additas censet, quibus ea, quae supra dicta erant, in ordinem redacta magis fierent perspicua[24]), recte fortasse vidit. Nec tamen illa quae paragraphis 1—25 exposita sunt, sic omni ordine recto aut consilio videntur destituta: immo eadem fere in exordio capitis tenetur via, quam sub finem poetam secutum esse Hermannus agnoscit. — Hac igitur de re accuratius iam videbimus. — Etenim quae leguntur §§. 26—28, quis est qui non intellegat optime congruere cum §§. 1—18, non rebus tantum, verum etiam ordine ac consilio: ut possis suspicari Aristotelem illa adiunxisse non quo priora rectius constitueret, sed paucis ut repeteret memoriam eorum quae supra copiosius erant exposita? Congruentia autem haec est. Significaverat philosophus (§. 2) tria genera esse imitationis, quam dein aut veram esse ostendit aut per impossibilia factam; imitantur enim poetae ἢ οἷα ἦν ἢ ἔστιν· ἢ οἷά φασι καὶ δοκεῖ· ἢ οἷα δεῖ: similiter §. 26 imitationis quam fieri posse negant referuntur genera ἢ πρὸς τὴν ποίησιν ἢ πρὸς τὸ βέλτιον ἢ πρὸς τὴν δόξαν. Apparet easdem ab ipso scriptore partes constitutas esse loci posterioris ac prioris: qua in re ne quem offendat traiectum in propositione priore membrum medium, disputatio ipsa eadem in utroque loco via procedit. Utrobique enim Aristoteles primum ad ipsam poesin impossibilia quae videntur refert; dein quod res non verae sint imitatione expressae, perfectionem excusat maiorem; denique imitationi praemunit ea quae perhibentur[25]).

Verum ingessit sane Aristoteles, ubi prius atque uberius de imitatione aut vera aut controversa disseruit, quartam insuper cui excusari possit reprehensionem. Dicit enim peccari posse in re aliena, velut si quis equum ambos pedes dextros proferentem inducat vel cervam cornutam: quam reprehensionem ut in re leviore facilius iudicat solvi[25b]). Debebat autem philosophus et proponere hanc controversiam et solvere seiunctam a tribus illis partibus, ad quas impossibilia referri iam est ex-

24) God. Hermanni Commentt. in c. XXVI. 5. cf. eiusdem praef. p. V.

25) l. c. §§. 7—9 cl. 27; §. 11 cl. 28; §§. 12. 13 cl. 29. Lego Aristotelem quem Hermannus edidit.

25b) l. c. §§. 6. 10.

positum. Nam multo remotius est hoc vitium ab artis poeticae natura, quam quae ipsi arti quam vocat opponuntur quasi seiuncta imitationis genera quae ad melius spectent aut ad famam popularem. Haec enim duo genera cum in moribus versentur atque in rebus divinis[26]), in omni fere fabula suum tenent locum necessarioque ad artem pertinent; illud vero vitium quod extra artem commissum est, luculenter philosophus significat casu vel neglegentia accidere interdum posse: necessaria quidem illa pars in qua continetur peccatum omnino non est. Quid igitur? Etsi fateare, molestius hanc controversiam interiectam esse, quam ex ordine disputationis erat: tamen facilius fertur membrum interpositum, quoniam lex disputationis ipsi exordio est praefixa: quam qui sibi proposuerit, etsi paullulum detineatur controversia recens inserta, tamen viam inchoatam ac praescriptam non poterit non tenere. Intellegitur autem, philosophum cum de iis excusationibus exponeret, quas ad ipsam artem pertinere dicit, subinde in modum eius quod contradictorie opponitur ea subiunxisse quae ad artem omnino non pertineant: qua in re ipso vocabulorum delectu, quod parum accurate dixit *καθ᾿ αὑτὴν* sc. *τὴν ποιητικήν* turbatum eum esse iam dispiciemus.

Nempe alia exoritur difficultas eaque paullo occultior, quam modo attigi: eamque Hermannum non perspexisse iure mireris. Quaesiverit enim quispiam, si ea quae perfectione maiore aut fama populari excusentur vitia contineantur in moribus hominum adumbratis et rebus divinis, mores autem et res divinae propriae sint ipsius tragoediae partes quibus seiunctis ne esse quidem ars tragica possit, cur tandem Aristoteles vitia quae committantur in illorum imitatione ut diversa separaverit ab iis imitationis peccatis quae ad ipsam poesin spectent? Cui difficultati consentaneum est medelam nullam afferre, qui ne viderit quidem, Hermannum. Verum illam facili expediemus interpretationis

---

26) Moribus quidem non ad veritatem expressis, non ulli alii parti scenicae artis perfectionem excusari maiorem eamque decentem: cum ex ipsa re pateat, tum aperte significatur iis quae leguntur *οἷοί εἰσιν, οἵους δεῖ* (§. 11), *τοιούτους εἶναι οἵους Ζεῦξις ἔγραφεν* (§. 28), posito pronomine masculino. Hominibus autem in instituendis quid potius spectandum est poetae, quam morum descriptio? — Divinae vero res diserte nominantur §. 13.

auxilio. Totius enim disputationis cardo versatur in ea quaestione, quid sibi velit Aristotelis illa *αὐτὴ ἡ ποιητική*[27]). Ac percommode philosophus in hoc ipso capite, quod inordinate scriptum iudicat Hermannus, ea quae in propositione causae parum accurate significaverat, in tractatione rei luculentius exposuit. Proposuerat §. 5: *Αὐτῆς δὲ τῆς ποιητικῆς διττὴ ἡ ἁμαρτία· ἡ μὲν γὰρ καθ᾽ αὑτήν, ἡ δὲ κατὰ συμβεβηκός.* Iam ea excipiuntur hisce: *εἰ μὲν γὰρ προείλετο μιμήσασθαι κατ᾽ ἀδυναμίαν, αὐτῆς ἡ ἁμαρτία κ. τ. λ.* Quodsi quae *προελόμενος* peccavit poeta, in ipsius artis naturam iudicatur peccasse, sponte apparet ipsam artem quam dicit philosophus contineri in ea, quam philosopho auctore *προαίρεσιν* vocaveris, inventione seu potius delectione argumenti quod poeta sibi proponat tractandum. Id vero collatis locis eiusdem libri aliis etiam certius nobis persuadebimus. Ut enim in ipso initio libri argumentum describens philosophus earum partium, quae quasi ad interiorem artis naturam pertineant, primariam non loco tantum, sed etiam dignitate ponit mythorum confectionem[28]): sic est clarissimus de tragoedia locus 7, 1 .... *λέγωμεν μετὰ ταῦτα, ποίαν τινὰ δεῖ σύστασιν εἶναι τῶν πραγμάτων, ἐπειδὴ τοῦτο καὶ πρῶτον καὶ μέγιστον τῆς τραγῳδίας ἐστίν.* Neve primam ac summam partem mythorum compositionem sic pleno ore nuncupari putes, verborum vi non apte ponderata, audi philosophum sententiam accuratius exponentem rationibusque probantem 6, 12—14: *μέγιστον δὲ τούτων ἐστὶν ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις· ἡ γὰρ τραγῳδία μίμησίς ἐστιν οὐκ ἀνθρώπων, ἀλλὰ πράξεων, καὶ βίου καὶ εὐδαιμονίας καὶ κακοδαιμονίας· καὶ γὰρ ἡ εὐδαιμονία καὶ ἡ κακοδαιμονία ἐν πράξει ἐστίν· καὶ τὸ τέλος πρᾶξίς τίς ἐστιν, οὐ ποιότης· εἰσὶ δὲ κατὰ μὲν τὰ ἤθη ποιοί τινες· κατὰ δὲ τὰς πράξεις εὐδαίμονες ἢ τοὐναντίον· οὐκοῦν ὅπως τὰ ἤθη μιμήσονται, πράττουσιν· ἀλλὰ τὰ ἤθη συμπεριλαμβάνουσι διὰ τὰς*

---

27) Ar. poet. 26, 5, quem locum in textu edimus. Cf. §. 7 *τὰ πρὸς αὐτὴν τὴν τέχνην*, §§. 26. 27 *πρὸς τὴν ποίησιν.*

28) Arist. poet. 1, 1: *Περὶ ποιητικῆς αὐτῆς τε καὶ τῶν εἰδῶν αὐτῆς, ἥντινα δύναμιν ἕκαστον ἔχει, καὶ πῶς δεῖ συνίστασθαι τοὺς μύθους, εἰ μέλλει καλῶς ἕξειν ἡ ποίησις .... λέγωμεν, ἀρξάμενοι κατὰ φύσιν πρῶτον ἀπὸ τῶν πρώτων.*

πράξεις· ὥστε τὰ πράγματα καὶ ὁ μῦθος τέλος τῆς τραγῳδίας· τὸ δὲ τέλος μέγιστον ἁπάντων ἐστίν· ἔτι ἄνευ μὲν πράξεως οὐκ ἂν γένοιτο τραγῳδία, ἄνευ δὲ ἠθῶν γένοιτ' ἄν. Hoc igitur in argumento condendo ab Aristotele poni ipsam artem iam colligitur: quo confecto omnia facile expediuntur. Etenim poeta quae fingere debeat, philosophus exponit non ea esse quae facta sunt, sed qualia quis iudicet fieri posse[29]): ut quae veritas dicitur poetica non ad fidem historicam revocetur, sed ad animos spectantium. Ea igitur ex lege quod tulit Aristoteles hac de quaestione iudicium iam iuvabit subicere: peccasse putandum esse poetam qui impossibilia imitatus sit ea quibus omissis finis tragoediae constare poterat; excusandum qui ea quibus admissis propius ad finem suum tragoedia accedat, ut et certius persuadeat spectantibus et eos permoveat vehementius[30]). Ipsius vero eius generis, cui excusari possit, cum exemplum addat Aristoteles Hectoris persecutionem[30b]), hoc quod ratiocinatione exploratum erat experimento quoque probatur: mythorum compositionem ad artis poeticae naturam ita proxime referri, ut et ipsa ars nominetur. Ergo facile concluditur, quo iure Aristoteli sic, ut eum legimus partitum, partiri licuerit. Nimirum qui ab arte quae vulgo intellegitur non debebat separare mores aut res divinas, is optime

---

29) Sic fortasse licebit brevissime complecti Aristotelis haec 9, 1: *φανερὸν δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων, καὶ ὅτι οὐ τὰ γενόμενα λέγειν τοῦτο ποιητοῦ ἔργον ἐστίν, ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον.* Cf. ibid. §. 2: *ὁ γὰρ ἱστορικὸς καὶ ὁ ποιητὴς οὐ τῷ ἢ ἔμμετρα λέγειν ἢ ἄμετρα διαφέρουσιν· — — — ἀλλὰ τούτῳ διαφέρει, τῷ τὸν μὲν τὰ γενόμενα λέγειν, τὸν δὲ οἷα ἂν γένοιτο.*

30) l. c. 26, 7 ss. *ὥστε δεῖ τὰ ἐπιτιμήματα ἐν τοῖς προβλήμασιν ἐκ τούτων ἐπισκοποῦντα λύειν· πρῶτον μὲν γὰρ τὰ πρὸς αὐτὴν τὴν τέχνην εἰ ἀδύνατα, ἡμάρτηται· ἀλλ' ὀρθῶς ἔχει, εἰ τυγχάνει τοῦ τέλους τοῦ αὐτῆς. τὸ γὰρ τέλος εἴρηται· εἰ οὕτως ἐκπληκτικώτερον ἢ αὐτὸ ἢ ἄλλο ποιεῖ μέρος. παράδειγμα ἡ τοῦ Ἕκτορος δίωξις. εἰ μέντοι τὸ τέλος μᾶλλον ἢ ἧττον ἐνεδέχετο ὑπάρχειν, καὶ κατὰ τὴν περὶ τούτων τέχνην ἡμάρτηται, οὐκ ὀρθῶς.*

Cf. ibid. §. 27: *πρός τε γὰρ τὴν ποίησιν, αἱρετώτερον πιθανὸν ἀδύνατον ἢ ἀπίθανον καὶ δυνατόν.*

C. 25, 7: *προαιρεῖσθαί τε δεῖ ἀδύνατα καὶ εἰκότα μᾶλλον ἢ δυνατὰ καὶ ἀπίθανα.*

30b) v. notam superiorem, lin. 5.

distinxit ab arte quam ipse exposuerat contineri in argumento condendo.

Iam perspectum erit, Hermannum sat multa aut non indagasse aut quomodo expediret non habuisse. Quamquam quod ea quae adhuc exposita sunt non recte tractaverit, excusatur Aristotelis ordine ratiocinandi minus perspicue descripto vocabulorumque delectu parum accurate instituto. Verum ne ipsum quidem iudicium philosophi ac sensum omnino integrum ab Hermanno exhiberi, etsi quis miretur, tamen probanti mihi facile spero concessum iri. Neve existimes aberrari nimium: exemplum istius, quam in Hermanno reprehendo, pravae interpretationis in ipso eo loco occurrit, qui huius quaestionis proprius est; interpretatio autem ea est, quam nisi sustuleris, de imitatione eorum quae deceat recte statuere omnino non poteris. Hermannus enim cum in commentariis ad caput 26 (§. 28) scriptis Aristotelem sic explicet, ut poeta ea quae deceat potius quam quae sunt imitatus excusetur[31]), idem ad eiusdem capitis §. 5 in conspectu quodam quem exhibet doctrinae Aristoteleae haec ponit[32]): „Porro peccatur, si falsa traduntur, sed uti decebat.“ Apparet Hermannum Hermanno repugnare, ut in alterutro loco lapsum calami ei excuses. Tamen quaerentem te audio, quibus iste oculis Aristotelem legerit, abs quo damnari poetam sic praefracte pronuntiet. Brevius quidem ille, ut in conspectu, comprehendit quae ab Aristotele pluribus erant exposita; at comprehendenti alienam doctrinam eo maiore cura ac subtilitate opus erat. Tantum autem abest, ut Hermannus integrum reddiderit Aristotelem, ut eum prorsus in contrarium commutaverit. Audi modo ipsum philosophum: *πρὸς δὲ τούτοις ἐὰν ἐπιτιμᾶται, ὅτι οὐκ ἀληθῆ· ἀλλ' οἷα δεῖ· οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη, αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δ' οἷοί εἰσιν· ταύτῃ λυτέον*[33]). Quae si levius inspexeris, dixeris sane, neque excusari poetam, qui res non veras sed quas deceat

---

31) l. l. p. 186. „Sin ad veritatem (suppl. ex iis quae antecedunt: spectant impossibilia), eo (suppl.: excusantur poetae), quod summam absolutionem consectari debent.“

32) ibid. p. 179.

33) Quod distinxi locum, commate maiore post *ἀληθῆ* eodemque post *δεῖ* interposito, Hermannum secutus sum: qui, cum recte interpunxerit verba, quomodo in pravam interpretationem delapsus sit, vix intellego.

imitatus sit, nec peccati damnari: idque minus attendenti facile persuadeas. Verum excusari poetam intellegitur et comparanti locum similem §. 28[34]), quem ne Hermannus quidem potuit non recte intellegere, et intuenti clausulam in hoc ipso loco appositam *ταύτῃ λυτέον*, qua significatur, ex Aristotelis iudicio poetam impossibilia imitantem nec dignum semper esse qui damnetur nec qui liberetur. Immo *πρόβλημα* obicitur (cf. §§. 1. 7), quod accuratius inquirenti solvatur, modo ut damnandus sit qui impossibilia commiserit modo excusandus. Sic duplice constituta causa poetae aut excusandi aut improbandi ut locum a philosopho dispositum arbitremur, ipso decursu orationis vel potius interrupto filo adducimur. Primum enim facile perspicitur, ea quae leguntur *ἀλλ' οἷα δεῖ* non reprehendentis esse eius ad quem pertinent priora *ὅτι οὐκ ἀληθῆ*, immo opponi illis haec, quippe quibus excusatio insit[35]). Dein ut sit locus impeditus multisque mutilus detractionibus iis quae *ἐλλείψεις* vocantur, tamen accuratius attendenti planior apparebit aliis multisque philosophi sententiis. Nam quae plerumque apud Aristotelem desideres supplementa orationis interruptae, cum aliis locis coniectura repetere cogaris, hoc loco tenenti et comparanti antecedentia primo fere obtutu suppetunt. Apparet quod supra dictum est, *προβλημάτων* altera parte, quae hac paragrapho continetur, excipi priorem quae tractatur §. 7. ss. Neque vero ratiocinatio tantum eadem est in utraque parte, sed etiam verborum delectus simillimus, conformatio autem orationis maxime congrua. Legitur enim §. 7: *πρῶτον μὲν γὰρ τὰ πρὸς αὐτὴν τὴν τέχνην εἰ ἀδύνατα πεποίηται, ἡμάρτηται· ἀλλ' ὀρθῶς ἔχει, εἰ τυγχάνει τοῦ τέλους τοῦ αὑτῆς*, infra *ἐὰν ἐπιτιμᾶται, ὅτι οὐκ ἀληθῆ· ἀλλ' οἷα δεῖ.* Quid quaeso facilius quam supplere *ἐὰν ἐπιτιμᾶται, ὅτι οὐκ ἀληθῆ, [ἡμάρτηται·] ἀλλ' [ὀρθῶς ἔχει, ἐὰν] οἷα δεῖ*? Non dico ipsa haec verba a philosopho scribi debuisse, quae modo uncinata apposui, sed ita rem comparatam esse, si priorem controversiam solutam §. 7 ss. contuleris, ut

---

34) c. 26, 28: *καὶ πρὸς τὸ βέλτιον* (suppl. *δεῖ ἀνάγειν τὸ ἀδύνατον*)· *τοιούτους εἶναι, οἵους Ζεῦξις ἔγραφεν.* Cf. quae de congruentia, quae huic loco sit cum exordio capitis, diximus supra p. 12. Hermanni sententiam vide n. 31.

35) De interpungendo loco v. quae diximus n. 33.

desideretur sensus loci hic: „res non veras si quis imitatus sit poeta, peccatum quidem esse omnino; sed recte habere, si ea imitatus sit quae deceat"[36]). Sic ubi locum expediveris, optime is etiam cum posteriore loco §. 28 congruet, cuius eandem sententiam esse supra effecimus. Quem quod Hermannus, probe ab ipso intellectum, dilucidius a philosopho ait esse compositum, ab hac quidem parte iam nobis cum eo convenit.

Verum quoniam contra illum inviti tantum neque ullo modo pares disputavimus, contentionibus missis revocamur ad proprium hoc munus, ut id quod tandem effectum est, veniam dari ab Aristotele poetae qui res non veras imitatione expresserit, modo decuerit ita ut imitatus est, in nostram de Sophocle suo ipsius iudice quaestionem convertamus. Monentem enim iam dudum te audio: Quousque tandem? Quid igitur effectum erit, ubi Aristotelis sententiam recte constitueris? Nempe institueramus viros doctos contendentes de notione illius quod Sophocles dixit: *οἷον δεῖ.* Iam ut hoc perspiciatur, aliquanto propius accessimus: quem ad finem nullo modo perventum esset, non reiecta Hermanni sententia, quem supra commemoravimus eam doctrinam exhibentem, ut peccare iudicetur qui falsa imitatus sit eaque decora, peccare Sophocles. Contra ex quo ostendimus, veniam dari ab Aristotele poetae eiusmodi qualem modo posuimus, facile intelleges, convenire prorsus philosopho de hac controversia cum ipso poeta, quippe qui hoc vociferatus sit non quo se incusaret, sed Euripidem ut notaret, purgaret se. Ex his autem vide quid profecerimus. Nimirum quod aiunt, sui quemque optimum esse interpretem: quoniam Sophoclei iu-

---

36) Quod hac de causa effecimus esse philosophi iudicium, vel inde agnoscitur Aristoteleum, quod simillimum reperitur ei quod de peccatis in ipsa arte, id est in mythorum compositione, commissis ex Aristotelis sententia protulimus p. 29. Neve incuses nos, quod audaciores simus in interpretando, tenendum est cum Hermanno (praef. p. III ss.), citato usque calamo ab Aristotele haec exarata esse, in quibus alia quoque eaque non minus necessaria membra desiderantur, veluti ad *ἐὰν ἐπιτιμᾶται* supplendum est *ὁ ποιητής*, ad ea quae sequuntur *ὅτι οὐκ ἀληθῆ* supplendum *ἐποίησε* vel *ἐμιμήσατο*. Denique cum plurima exempla doceant, sententias Aristotelis iusto magis abruptas referendas esse ad eas quae antecedant, ex quibus compleantur, tum eiusmodi locus legitur in hoc capite §. 28, unde modo adscripsimus n. 34.

dicii non habemus qui sit optimus interpres ipsum poetam de arte disserentem, ad eos confugiendum est, qui ipsius proximi sunt. Apparet autem, propinquam esse ac fere aequalem Sophocli Aristotelis si non aetatem, certe sententiam. Exemplum autem, quo firmaret sententiam communem ipsius et Sophoclis, non potuit Aristoteles quin eo sensu accipere sibi videretur, quo poeta pronuntiasset. Quod etsi nobis ex contrario diserte asserere non liceat, re vera fuisse Sophoclis illud vociferantis eandem mentem quam Aristotelis recipientis, tamen, quoniam locupletiore caremus interprete, tutissimum manebit in Aristotelis Sophoclem tradentis auctoritatem concedere. Is autem ut consentire sibi videtur cum Sophocle, ita unde illud *οἷον δεῖ* explicetur, multa per totum de arte poetica librum suppeditat. Hoc igitur duce utemur, et quamvis doleamus quod veram ipsius Sophoclis sententiam nulla omnino relicta dubitatione nequeamus dispicere, tamen quam proxime verum videbimur nobis assecuti esse, ubi quid Aristoteles intellexerit *οἷον δεῖ* explanaverimus.

Proposita autem erat quaestio[37]), utrum ii mores quales poetam fingere deceat (*δεῖ*), intellegerentur conformati esse ad universalem notionem generis humani, an ad meliorem quandam honestioremque imaginem hominis vere ingenui, cuius non ea quae facere consuesset, sed ad quae aspiraret exprimerentur. Haec enim cum esset opinio Dacierii, illa Hurdii, Lessingius arbiter quasi constitutus maluit probare Hurdium, etsi non omnino consentiret, coactus tamen ille, ut videtur, difficultate quadam quod non haberet qua rem expediret aliam ac novam viam: quam quidem ab Ed. Muellero monstratam[38]) nos quoque inchoavimus. Videamus igitur, num mediae illius viae recteque inter oppositos utrimque scopulos ductae auctorem nobis conciliemus ipsum philosophum. Hanc autem in viam apparebit concedendum esse, ubi prius, quae nos in alteram utram partem seducere videantur, caute tentaverimus semitas.

Ac primum quidem qui dicunt universales esse mores cum perfectae cuiusque tragoediae tum fabularum Sophoclis, obtinere sane videntur Aristotelis auctoritate docentis 9, 4: *ἡ μὲν γὰρ*

---

37) supra pag. 7 ss.

38) v. supra n. 22.

ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει. Nec prorsus adversabor equidem philosopho talia tradenti: sed pauca monebo. Primum enim haudquaquam Aristoteles nuncupat tragoediam sic simpliciter universalem, quasi in universali naturá omnino proprium eius ac totum munus conficiatur, verum eam esse dicit quae magis universalis videatur, ubi cum historia eam comparaveris. Tum ne tragoediam quidem ipsam philosophus dicit universaliorem esse historia, sed omnem artem poeticam, eam autem universalitatem diserte insuper asserit in comoedia magis quam in tragoedia conspici[39]): ut facile intellegas, rerum morumque universalitatem quandam, etsi poscatur artis tragicae natura ac virtute, tamen non eam esse quae prae ceteris desideretur ut emineat. Quamquam in contrariam partem isti afferent — quod a Lessingio, cum hoc ipso capite uteretur[40]), magis quam e re sua erat neglectum esse mireris — Aristotelem eorum quae de comoedia statuerat iam in tragoedia quoque hanc vim exerceri docentem[41]), ut fictis non nominibus tantum, sed etiam rebus uti poetae liceat: cuius licentiae ut exemplum illustre praedicatur Flos Agathonis. Attamen quod tragoediam mere ficto argumento stare posse arbitratur philosophus, haud scio an abreptus quasi ingenio lusum quendam indulgere sibi maluerit, quam serio doctrinam pronuntiare, quam nisi haustam optimorum de exemplaribus poetarum vix debebat proponere. Exempli certe, quo utitur Agathone, aut nulla est aut satis manca auctoritas, quae nobis quidem nullo modo sufficiat. Quid enim? comparatis principum tragicorum operibus quale quaeso pretium statuemus aut poetae si non mediocri, optimis saltem multo inferiori, aut fabulae, cuius cum pleraque, ne dicam omnia ignota sint, reliqua quod sciamus peculiari omnino fuco ornata erant? Neque enim Aristotelis laude, quod Agathonis Flos *οὐδὲν ἧττον εὐφραίνει*, de praestantia eius fabulae certius nobis persuadetur considerantibus

---

39) l. l. §. 5.

40) Didascc. Hammonn. vol. II. (opp. vol. XXV.) p. 277 ss.

41) l. l. §. 7: *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τραγῳδίαις, ἐν ἐνίαις μὲν ἓν ἢ δύο τῶν γνωρίμων ἐστὶν ὀνομάτων, τὰ δὲ ἄλλα πεποιημένα, ἐν ἐνίαις δ' οὐδὲν, οἷον ἐν τῷ Ἀγάθωνος Ἄνθει. ὁμοίως γὰρ ἐν τούτῳ τά τε πράγματα καὶ τὰ ὀνόματα πεποίηται· καὶ οὐδὲν ἧττον εὐφραίνει.*

qui fuerint Aristotelis tempore mores Atheniensium; qui cum antea interdum fucata ac varie distincta magis quam virtute insignia adamassent, iam sub Alexandri tempora, neglectis fabulis principum quas repetere et decebat et licebat per legem, *καινοῖς τραγῳδοῖς* summa frequentia ad spectandum congregarentur[42]. Novae autem tragoediae cum plerumque aut mixtae essent moribus lepide adumbratis aut tumore oppressae, quid mirum, si qui illas captarent Agathonis quoque florida arte delectabantur? Quid porro? si ipsis philosophi verbis inest aliqua significatio, oblectationem, qua Athenienses cum Agathonis fabulas spectarent permulcebantur, non eam esse quae tragoediae propria sit? *Εὐφραίνειν* enim dicitur Agathonis fabula, cum tragoediae sit *δι᾽ ἐλέου καὶ φόβου περαίνειν τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.* — — Verum nolo iam insistere Agathonis mentioni obiter iniectae, cum ipse Aristoteles ei licentiae, quam interdum admitti posse poetae illius docet exemplo, continuam opponit principum tragicorum consuetudinem[43]. Quorum ad exemplar utinam numquam ne doctrinam conformare voluisset! Licebat ei, principes poetas secuto, eo quo utitur modo[44] demonstrare, non ideo poetas facta imitari quod facta sint (id quod nos quoque supra exposuimus), sed quod ea quae facta sunt, quoniam necessario possibilia esse colliguntur, maiorem exerceant in animos spectantium vim persuadendi et commovendi. Neque vero ceteris in locis Aristoteles ubi de rebus ac moribus conformandis agit, a consuetudine principum tragicorum recedit, multoque magis sibi Agathonem praeferenti quam illis repugnat. Obstat enim uni ac singulari loco, quem iam tuendum Hurdianis relinquimus, aliorum et plurimorum series atque omnis Aristotelis ratiocinatio. Nusquam enim legimus philosophum docentem, ad universalem generis humani notionem exaggerari debere mores fabularum vel potius extenuari. Immo quae, quo magis ad universalia aspires, eo arctius circumscribitur varietas morum, ea ut e tragoedia tollatur, tantum abest ut Aristoteles praeceperit, ut eam etiam servari iubeat hac ipsa lege, quam de universali fabularum natura ea quae

---

42) Cf. Bernhardy l. l. p. 41 s.

43) l. l. §. 6: *ἐπὶ δὲ τῆς τραγῳδίας τῶν γενομένων ὀνομάτων ἀντέχονται.*

44) v. supra p. 15. n. 29.

ipsi probetur proponit. Sic enim universalia describit 9, 4: *Ἔστι δὲ καθόλου μέν, τῷ ποίῳ τὰ ποῖ᾽ ἄττα συμβαίνει λέγειν ἢ πράττειν κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον.* Quali autem qualia dicere conveniat, id altera quidem ex parte pendet a rerum nexu quae mythis traduntur. Ipsa enim ea quae leguntur *τῷ ποίῳ τὰ ποῖα συμβαίνει κτλ.*, etsi more Graecorum dicta sunt et cogitatione confici possunt, tamen priusquam ad singulas controversias referas necesse erit ut altera pars data et circumscripta sit ad quam altera referatur. Atque Graecorum quidem poetae tragici, quales fingere deberent in fabulis homines, praemoniti erant mythicis narrationibus, e quibus qualis quisque heros plerumque existeret constabat. Sic cum poetae, quotquot hominum instituebant mores, lineamenta quaedam e mythica poesi adumbrata acceperint[46]): philosophus illos secutus, quotquot exempla affert, aeque omnia, uno excepto Agathonis Flore, ex communi illa mythorum copia deprompsit. Neque vero secutus tantum est vulgarem consuetudinem, sed necessario ad normam rerum, quae mythis tradebantur, mores conformandos esse hoc modo praecipit[47]): „*ἐπεὶ δὲ πράξεως ἐστὶν ἡ μίμησις, πράττεται δὲ ὑπὸ τινῶν πραττόντων, οὓς ἀνάγκη ποιούς τινας εἶναι κατά τε τὸ ἦθος καὶ τὴν διάνοιαν· (διὰ γὰρ τούτων καὶ τὰς πράξεις εἶναί φαμεν ποιάς τινας·) πέφυκεν αἴτια δύο τῶν πράξεων εἶναι, διάνοια καὶ ἦθος.*“ Quod vero causae rerum (*αἴτια τῶν πράξεων*) ponuntur in moribus, non ita res comparata erat, ut poetis liceret ad universalem quandam normam mores sibi quos vellent fingere, quibus tamquam e causis quae vellent deducerent. Immo quoniam, quid tandem effici debeat, propositum est in mythicis poematis: iam hoc proprium est tragicorum munus, ut quas absolutas consummatasque actiones acceperint heroum, eas quasi revolvant atque a fine qui in actione cernitur repetant, quibus in moribus, ut in incitamentis, causae positae fuerint eius rei efficiendae. Quos autem reppererint

---

46) Bernhardy l. l. p. 151: „Sie (die Charaktere) sind ferner in der älteren Tragödie ein bleibender Stamm verwandter Personen, die vor dem Plane des Stückes gegeben waren und in denselben eingetragen werden, seinen Gang und seine Grenzen bestimmen, überhaupt einen substanziellen Kern einschliessen, der niemals verloren geht und immer erkennbar durchscheint.“ Cf. eund. p. 305 extr.

47) c. 6, 7.

mores efficaces fuisse, eos iam ita exponere debebunt, ut esse videatur *ἦθος χρηστὸν, ἁρμόττον, ὅμοιον, ὁμαλόν* [48]). Illam vero causarum indagationem quia nec possunt poetae neque ullo modo debent ad historiae fidem exigere, universalior sane est poeticae artis ratio quam historiae. Non enim id agunt, ut exponant quibus rationibus ducti Oedipus Orestes alii re vera facta ediderint, si quidem Oedipi aut Orestis res verae fuisse perhibentur, sed ut talem nobis informent, qualem ea quae traduntur perfecisse probabile est. Neque vero ubi ab historiae fide recesserunt, ideo poetae Graeci ad philosophorum praecepta confugerunt, (de Euripide enim non dico): sed intuentes animo imaginem quandam heroicae aetatis, huic etsi non omnino similes reddebant hominum mores quos in scenam inducerent, aspirantes tamen ad maiorem sublimioremque istius aetatis speciem magnanimiores homines sublimioresque effinxerunt quam qui ipsorum aequales erant [49]).

Sufficiant haec contra Hurdianos dicta: iam quod magnanimitatem sublimitatemque posui, verendum est ne in Dacierii partes concesserim. Quamquam quae iste iudicavit de perfectione morum Sophocleorum, ita ab omni antiquitatis ingenio abhorrent, ut ne latine quidem quomodo interpretere facile habeas [50]). Itaque cum vix digna sit ista opinio quae peculiari opera refutetur, nostram iam exhibebimus sententiam accuratius circumscriptam ab iis partibus, quas a Dacierio facere quispiam coniciat. Ac primum quidem homini Francogallo non ita repugnare videntur, quae Aristoteles docuit 2, 7 [51]), iterum posuit 5, 7 [52]), denique repetit in definitione illa qua propriam tragoe-

48) c. 15, 1—6.

49) c. 2, 7. *ἐν τῇ αὐτῇ δὲ διαφορᾷ καὶ ἡ τραγῳδία πρὸς τὴν κωμῳδίαν διέστηκεν. ἡ μὲν γὰρ χείρους, ἡ δὲ βελτίους μιμεῖσθαι βούλεται τῶν νῦν.*

50) Cf. supra p. 8 et n. 18. Ubiquod Dacierii quae sunt „une belle nature“ interpretatus sum hominem ingenuum ac liberalem, quam non quadret in vocabulum Francogallorum, probe scio. Atqui difficultas posita est non in nominibus exprimendis, id quod facili negotio confeceris, sed in convertenda ad antiquorum usum re ea quae omnino non antiqua est; Germanice fortasse dixeris: „eine schöne Seele.“

51) v. n. 49.

52) c. 5, 7: *ἡ μὲν οὖν ἐποποιΐα τῇ τραγῳδίᾳ, μέχρι μόνου μέτρου καὶ λόγου, μίμησις εἶναι σπουδαίων ἠκολούθησεν.*

diae naturam comprehendit 6, 2: *ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας κτλ.* Verum Aristoteles ut primo quem laudavimus loco meliores tantum esse vult tragoediae mores quam qui vulgo in plerisque hominibus conspiciantur, ita secundo loco (5, 7) honestos tragoediae atque epicae poeseos mores cum deterioribus comoediae contendit [53]. Ipse autem is qui *σπουδαῖος* appellatur non intellegitur morum probitate aut magnanimitate insignis, sed qui severam quandam dignitatem tueatur [54]. Neve putes severum hominem eundemque omnino iustum aptum esse qui in tragoedia inducatur, itidem reicit eum Aristoteles [55] atque omnino indignum virum. Hunc autem proponit poetis informandum qui neque omnino iustus sit nec vitiis corruptus nec scelere calamitates sibi conflet, sed errore [56]. Attamen ne prorsus ad mediocrem vulgaremque vitae consuetudinem demergatur tragoedia, poetae ut eos quoque qui vitio aliquo aspersi sint arte reddant meliores, docentur a philosopho 15, 11 [57]. Qui cum hoc ex ipsa tragoediae natura necessarium iudicet, idem fere praescribit quod in exordio huius de altero iudicio Sophocleo quaestionis propo-

---

53) cf. 5, 1.

54) Conferas de notione huius vocabuli exponentem Bernhardyum l. l. p. 163 s. Quamquam *σπουδαῖον* quod est in fabulis scenicis, cum plerumque contrarium sit ridiculi [cf. praeter Aristotelem Plat. Legg. VII, p. 816 D.], non numquam tamen opponitur turpi. Ne dicam de Platone, qui cum omnino de hac re aliter statuat, tum hoc ipso loco quem modo laudavi (p. 817) tragoediae virtutem ita ad morum probitatem revocat, ut in locum eius vitam probam ac honestam adeo substituat: ipso ab Aristotele contraria tragoediae ponitur comoedia, *μίμησις φαυλοτέρων.* Cf. praeterea n. 49. Hoc igitur usque tenendum est, etsi non contineatur *σπουδαιότης* in morum probitate, pravitatem tamen omnem ac mediocritatem ab ea arcendam esse.

55) c. 13, 2.

56) c. 13, 5. *ὁ μεταξὺ ἄρα τούτων λοιπός. ἔστι δὲ τοιοῦτος, ὁ μήτε ἀρετῇ διαφέρων καὶ δικαιοσύνῃ, μήτε διὰ κακίαν καὶ μοχθηρίαν μεταβάλλων εἰς τὴν δυστυχίαν, ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν τινά, τῶν ἐν μεγάλῃ δόξῃ ὄντων καὶ εὐτυχίᾳ· οἷον Οἰδίπους καὶ Θυέστης καὶ οἱ ἐκ τοιούτων γενῶν ἐπιφανεῖς ἄνδρες.*

57) c. 15, 11. *ἐπεὶ δὲ μίμησίς ἐστιν ἡ τραγῳδία βελτιόνων, ἡμᾶς δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀποδιδόντες τὴν οἰκείαν μορφήν, ὁμοίους ποιοῦντες, καλλίους γράφουσιν.*

suimus, homines qui in tragoediis inducantur ut altius quiddam spirent et quod tragoediam proprie deceat [58]). Philosophum autem cum optimum quem quidem habeamus poetae interpretem esse ostenderimus, de ipso Sophoclis sensu, quatenus quidem assequi licet, iam effectum erit.

Denique ut absolvamus hanc partem quaestionis, quod in vitium Euripidis cadat reprehensio Sophoclis, facile intellegitur. Notatur scilicet quae saepissime in fabulis eius deprehenditur imago vitae miserae atque abiectae descriptioque eorum hominum qui aut aures crucient rixis eiulatu ploratu aut oculos laedant rebus sordidis quasi consulto exhibitis ac monstratis: quod vitium acerbius etiam, ut par est, Aristophanis in Acharnensibus potissimum et Ranis exagitari pernotum est. Sophoclem vero non hoc sibi assumentem ipsumque de se praedicantem audimus, quod omnino perfectos hominum mores exhibuerit, sed quod eo subliniores ac severiores reddiderit, quo ipsa ea quae in tragoediis repraesentetur vitae condicio maior atque sublimior sit quam communis hominum consuetudo vitae [58a]). Hanc igitur habemus normam, ad quam ipsum poetam in moribus effingendis versantem diiudicemus. Est autem ea media fere collocata inter Euripidis artem privatas ac domesticas Atheniensium res redolentem atque Aeschyli tumorem qui ipsam etiam heroicae aetatis dignitatem saepe excedit. Singulas vero poeseos Sophocleae virtutes ut cum deteriore Euripidis indole contendamus, quemadmodum Hurdius ipse Electras utriusque poetae comparavit [59]), opportunam postero tempore spero mihi datum iri occasionem. Ex hac vero disputatione, quam aliquanto uberius institutam modo absolvimus, numquid in explanandum tertium Sophoclis iudicium profecerimus, iam videbimus. Id unum insuper moneo quod Aristotelis verbis *οἷον καὶ Σο-*

---

58) v. s. pag. 9. n. 22.

58a) Illa autem vitae condicio quod in universum comparari potest heroicae aetatis imagini qualem carminibus Homericis expressam habemus, convenit mihi cum Bernhardyo, quem Homeri exemplaria Sophocli in describendis moribus honestis liberalibus ingenuis proposita significantem supra laudavi, ubi Euripidis quoque de sordidis et abiectis vitae imaginibus iudicium Eiusdem attuli pag. 9. n. 22.

59) Hurdius apud Lessingium l. c. (opp. vol. XXV.) p. 300 ss.

φοκλῆς ἔφη non satis diserte significatur, hanc vocem aeque ac priorem de Aeschylo artis suae inscio, ut est brevis atque aculeata, per vices sermonis potius quam in libro composito editam videri [60]).

Tertium quod significavi Sophoclis de arte sua iudicium legitur apud Plutarchum: *Ὥςπερ γὰρ ὁ Σοφοκλῆς ἔλεγε, τὸν Αἰσχύλου διαπεπαιχὼς ὄγκον, εἶτα τὸ πικρὸν καὶ κατάτεχνον τῆς αὐτοῦ κατασκευῆς, τρίτον ἤδη τὸ τῆς λέξεως μεταβάλλειν εἶδος, ὅπερ ἐστὶν ἠθικώτατον καὶ βέλτιστον κτλ.* [61]). De hoc loco qui primus quod sciam e Germanis commentatus est Xylander [62]) cum aliis in partibus erravit, tum in eo quod *τὸ πυκνόν* (quod quidem e coniectura scripsit) *καὶ κατάτεχνον τῆς .. κατασκευῆς* interpretatus apparatum nimis densum atque artificiosum sive Aeschyli in apparatu condensationem quam dicit atque artificii industriam, referebat haec ad orationem Aeschyli artificiosius ornatam ac figuris potissimum paene exaggeratam. Hunc deinde aliquantum correxisse sibi visus est Lessingius [62 b]), qui

---

60) Cf. de occasione Sophocli ad notandum Aeschylum oblata quae secundum veteres scriptores attuli supra pag. 6 s.

61) *Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ* s. de profectu in virtute c. 7. (Plut. Morall. ed. Duebner vol. I. p. 94). *Ὥσπερ γὰρ ὁ Σ. ἔλεγεν .... ἠθικώτατον καὶ βέλτιστον· οὕτως οἱ φιλοσοφοῦντες, ὅταν ἐκ τῶν πανηγυρικῶν καὶ κατατέχνων εἰς τὸν ἁπτόμενον ἤθους καὶ πάθους λόγον καταβῶσιν, ἄρχονται τὴν ἀληθῆ προκοπὴν καὶ ἄτυφον προκόπτειν.* Sic Duebnerus locum edidit, vulgarem ille lectionem quam proxime secutus. Xylander legerat *τὸ πυκνόν*; nuperrime viri docti suo quisque ingenio locum emendare studuerunt: Ed. Muellerus (l. quem saepius laudavimus I. 224) *αὐτοῦ*, quod plurimi receperunt; Od. Muellerus (Hist. Graec. Litt. II. 116) *εἰς τρίτον*, Bergkius (l. l. p. XXX a. c. n. 125) interponit *τὸ τῆς ποικίλης λέξεως εἶδος*. Denique quod est *διαπεπαιχώς*, in quo verbo tantum non omnes haeserunt, alius alio modo conatus est emendare: Schoellius (Sophocles p. 70 n.) *διαπεφευγώς*, Bergkius *διαπεπλακώς*, Bernhardyus (Hist. Litt. Graec. ed. II. vol. II. 2. p. 305) *διαπεπλιχώς*. Quibus de emendationibus quid statuendum sit, per ordinem quaestionis exponemus.

62) Xylander in commentariis ad interpretationem Plutarchi Latinam additis; cf. Lessingium de vita Soph. p. 49 s.

62 b) Lessingius ibidem p. 51 ss.

non ad oratoriam artem, sed ad scenicam pertinere illum apparatum doceret. Quantum correxerit infra videbimus: unum autem illico monendum est. Lessingius enim cum perperam in picturam scenae ac taetram vestium adstructionem incideret, tum in maiore etiam re prorsus a vero aberravit. Quod enim supra notavi illum [63]), qui temere statuerit, Plutarchi errore id Sophocli tributum esse quod ad Euripidem referendum esset: iam in hanc rem accuratius inquiremus. Videtur autem criticus homo primum a vero seductus esse, quod nimium insistebat vocabulo *διαπαίζειν*. Quod ubi ille ad speciem quandam veri, quam falsam esse infra ostendemus, interpretatus est **irridere**, iam hunc in modum disputavit, ut negaret aut omnino Sophoclis moribus talem convenire irrisionem, aut in libro quem de choro Sophocles edidit, e quo quidem necessario illud poetae esset repetendum, aptam fuisse sententiam Aeschylo ita adversariam et quae plane pugnaret cum priore illa laude, quod Aeschylum Sophocles recta instituere praedicaret. Verum ne dicam de temeritate in laudando libro conspicua, cum ne scriptum quidem illud iudicium a Sophocle relictum esse satis constet: quomodo ne statuamus a Sophocle hanc reprehensionem editam esse, prohibebimur collata altera eiusdem poetae sententia, sub qua et ipsa reprehensionem Aeschyli latere deteximus [64])? At non ab una parte manca est coniectura Lessingii. Ut enim concedamus isti, in his quae Sophoclea exstant, quoniam quidem scriptum esse vult Lessingius, non legi eiusmodi iudicium aut irrisionem: at vero ne ab Euripide quidem quod a Plutarcho notatum traditur duplex Aeschyli vitium utrumque perstringitur. Quod enim Lessingius disputat [65]), ab Euripide potius quam a Sophocle vitatum esse tumorem Aeschyli aeque ac formidolosum scenae apparatum, id non facit ab eo qui *διαπαίζειν* idem esse vult quod latine **irridere**. Qui autem ab eo profertur locus Euripidis quem dicit Aeschylum irridentis [66]), primum ne est quidem Euripidis eius qui fuit poeta tragicus, sed eius quem Aristophanes in scenam inducit. Dein vero Euripides Aristophanis totus in notando tumore Aeschyleo occupatur: scenae

---

63) supra pag. 1.

64) pag. 5 ss.

65) l. l. p. 56 ss.

66) ibid. p. 59. Est locus Aristophanis e Ranis v. 940 ss.

autem apparatum vix attingit, neque vero *ἠθικώτατον καὶ βέλτιστον εἶδος* illud quod est apud Plutarchum se invenisse ullo loco gloriatur [67]). Quamquam quid de Aristophane disputo male comparato, cum ne ipsius quidem Plutarchi sensum recte Lessingius perspexerit? Quod enim *ἠθικώτατον εἶδος* interpretatur honestum genus dicendi et hominibus bene moratis quam maxime conveniens, non potuit perversius intellegere. Immo *ἦθος* est indoles hominis, quam sive malam voles intellegi sive bonam, nominatim debebis attribuere: *ἠθικόν* igitur est quod ad mores pertinet, neutra addita significatione, pravine intellegantur an probi. Ubi vero de arte poetica dicitur *ἠθικόν*, ipsi poemati seu generi dicendi proprie attribuitur ei, quod aptum sit ad exprimendos, qualescunque e natura fabulae desiderantur, mores sive bonos sive malos [68]). Hanc autem orationis

---

67) Lessingius quidem quod contulit versum 945:

χυλὸν διδοὺς στωμυλμάτων ἀπὸ βιβλίων, ἀπ᾽ ἠθῶν;

abreptus studio ut versus Aristophanis similes redderet loco qui a Plutarcho traditur, reiecta Eustachii *ἀπηθῶν* emendantis auctoritate, tenaciter defendit lectionem *ἀπ᾽ ἠθῶν*. Quae cum dudum relicta sit, ne uno quidem loco qui isti favere videbatur iam uti licet. — Scenico autem in apparatu quid ultra modum commiserit Aeschylus, tantum abest ut ab Euripide vituperetur, ut eius rei vix uno loco mentio iniciatur versu 940:

ἂν τοῖσι παραπετάσμασιν τοῖς Μηδικοῖς γράφουσιν,

quae fortasse ad stramina Agamemnoni ab uxore adultera supposita (Aesch. Agam. 875 ss.) referas. Quae enim praeterea perstringuntur partes cum mutae catervae (Ran. 950 s.) tum Niobes obnuptae (ibid. 913 ss. 920), in his quae notantur, non ad apparatum tantum scenicum pertinent. Concidunt igitur quae satis audacter a Lessingio pronuntiantur (p. 59), cum lectores locum tandem Euripidis sciscitantes non dubitat ad Aristophanis versus ablegare.

68) *Ἦθος* ut sit a scriptoribus plerumque attributa probitate ac virtute ornatum: nusquam tamen, quod scio atque intellego, absolute ponitur hac vi, ut prodat morum probitatem; immo vocabulum est medium, ut quae moribus alicuius hominis debeatur laus, attributis nominibus adiungatur. Verum malum quoque describitur *ἦθος*: cuius rei notissimum est exemplum Soph. Ant. 742: *ὦ μιαρὸν ἦθος.* Vocabulum autem quod est *ἠθικός* eo quem significavi sensu legitur apud Aristotelem Rhet. 3, 7: *Τὸ δὲ πρέπον ἕξει ἡ λέξις, ἐὰν ᾖ παθητική τε καὶ ἠθικὴ καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογον ... καὶ ἠθικὴ δὲ αὕτη ἐκ τῶν σημείων δεῖξις, ὅτι ἀκολουθεῖ ἡ ἁρμόττουσα ἑκάστῳ γένει καὶ ἕξει*: ac simile est quod eiusdem philosophi fertur *ἠθικὸν ποίημα* quod sit *δηλοῦν τὴν προαίρεσιν.* Quod autem hoc loco quem adscripsi *γένος* et *ἕξις* ponuntur in generibus

quae sit *ἠθικὴ* virtutem Sophoclis peculiarem fuisse, non Euripidis: ut supra ostendimus, ita probamur cum vetere testimonio quod Scriptor Vitae Sophocleae memoriae prodidit [69]), tum a Lessingio ipso docemur, qui cum Euripidem in bonis moribus docendis operam posuisse dicat, Sophoclem contendit ut poetam vere tragicum homines convenienter vitae condicioni atque ei quo ferantur animo instituisse [70]). Ergo apparet Lessingium, cum probare vellet suam sententiam, ipsum contra se disputasse; coniecturam autem ipsius argumentis destitutam, cum novis ac melioribus rationibus vix quisquam tueatur, omnino mancam esse et cui iure mireris Welckerum etiam accedere potuisse, qui firmissimis argumentis Lessingium sibi persuasisse fatetur [71]).

Tenemus igitur Sophoclem iudicii quod apud Plutarchum legitur fuisse auctorem: cuius sententiae plerosque e recentio-

---

hominum et aetatibus, in popularibus rebus ac vitae condicionibus: intellegitur, quam non sit in morum probitate consummatum *ἦθος*. Denique ut comprehendamus, *ἠθικὸν ποίημα* eodem modo dicitur, quo Cicero praedicat poema moratum d. divin. I, 31 atque Horatius praecipit ut sit morata recte fabula A. P. 319, quam intellegit eius poetae esse quem modo informaverat v. 316; qui

„reddere personae scit convenientia cuique.“ —

Simili autem modo, atque *ἠθικώτατον, τὸ τῆς λέξεως βέλτιστον εἶδος* non ideo vocatur, quod eos qui audiant meliores reddat (Lessingius p. 60. cl. Ar. Ran. 1040 ss.), sed quod arti optime conveniat.

69) Vita Soph. §. 13: *ἠθοποιεῖ τε καὶ ποικίλλει καὶ τοῖς ἐπινοήμασι τεχνικῶς χρῆται . . . ἤνεγκε δὲ τὰ μικτὰ, εὐκαιρίαν, γλυκύτητα, τόλμαν, ποικιλίαν. οἶδε δὲ καιρὸν συμμετρῆσαι καὶ πράγματα, ὥστ᾽ ἐκ μικροῦ ἡμιστιχίου ἢ λέξεως μιᾶς ὅλον ἠθοποιεῖν πρόσωπον. ἔστι δὲ τοῦτο μέγιστον ἐν τῇ ποιητικῇ, δηλοῦν ἦθος ἢ πάθος. φησὶν οὖν Ἀριστοφάνης, ὅτι καιρὸς ἐπεκαθέζετο τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ.*

70) Lessingius l. c. p. 58: „Und nun der dritte Punkt: *τρίτον ἤδη κτλ.* Sophokles soll den ganzen Character der Rede umgeschaffen, und ihn, soviel möglich, sittlich und moralisch gut gemacht haben? Das sieht dem Sophokles nicht ähnlich. Dazu war er zu viel Poet und verstand seine Kunst viel zu gut! Der wahre Tragikus lässt seine Personen ihrer Situation, ihrem Affecte gemäss sprechen, und bekümmert sich nicht im Geringsten darum, ob sie lehrreich oder erbaulich sprechen. Aber darum bekümmert sich Euripides wohl etc.“

71) Welcker Tril. p. 524 not.

ribus consentientes sequimur duces [72]. Verum discedunt viri docti, ubi ad singula diiudicanda ventum est: haerent autem in eo potissimum vocabulo unde Lessingius quoque aberravit. Etenim quod legitur *διαπεπαιχώς* cum alius aliter interpretetur atque emendet, in duas praecipue partes omnes fere secedunt: alteri ut statuant Sophoclem et ipsum tumore illo et artificiosa fabularum conformatione aliquamdiu usum ac paene perfunctum esse, alteri ut negent. Illam sententiam cum plerique amplexi sint, hanc tuetur solus quod sciam Bernhardyus. Is enim confisus, ut videtur, eo quod nullum aut tumidae artis aut amarae in tragoediis Sophocleis deprehenderet vestigium, interpretatus erat *διαπαίζειν*, ut intellegeretur Sophocles vitiis illis, quae in Aeschylo conspicua erant, ludens quasi impetu supersedisse [73]. Verum ut concedas posse tale quid vocabulo composito quod est *διαπαίζειν* significari, tamen quoniam nullum eius significationis in scriptoribus Graecis reperitur exemplum, vir doctus idem qui proposuerat hanc interpretationem videtur reliquisse abiectam [74]. Quamquam ne alterum quidem, quod usque tenuit, nobis probavit: Sophoclem ex quo fabulas docere coepisset, liberum statim extitisse ab omni vitio aut tumoris Aeschylei aut durioris cuiusdam et quasi amarius instructae artis. Obstat autem, ne hoc Plutarchi quidem loco proditum arbitremur, non tam vocabulum quod est *μεταβάλλειν*, quam totius conformatio sententiae atque responsionis lex qua Plutarchi in libro haec protasis cum apodosi tenetur, in qua philosophi ex altero genere in alterum transire diserte dicuntur. *Μεταβάλλειν* enim aliquam rem etsi plerumque dicatur is qui de suo aliquid dederit pro quo novum quid accipiat, tamen hic quoque vocatur qui mutando novum aliquid comparaverit, etiamsi quae eius generis ante extabant quaeque ab ipso

---

72) F. Schultzium, cuius in libro de vita Soph. p. 130 ss. Lessingius pridem refutatus est, sero licuit inspicere: quare si in his quae contra Lessingium protuli, forte mihi cum illo convenerit, non mea me culpa cramben repetitam apposuisse scias.

73) Bernhardy Hist. Litt. Graecc. (ed. prior.) vol. II. p. 795; cf. Eiusdem censuram Ed. Muelleri, insertam Annalibus Berolinensibus 1834. m. Septbr. n. 47. p. 399 ss.

74) Hist. Litt. Graecc. (ed. nov.) Vol. II. P. II. p. 304 s.

mutata dicuntur non ipsius fuerint, sed alius cuiusdam [75]). At vero repugnat interpretationi quam Bernhardyus protulit tota conformatio sententiae, cuius singula membra excipiuntur par-

---

75) Cf. Plat. Rep. IV, 424 C.: de quo loco in extrema hac annotatione accuratius videbimus. *Μεταβάλλειν* autem cum iuxta sit transitivum atque intransitivum, transitive aeque ac latine quod vertitur mutare duplici modo usurpatur. Etenim subicitur aut res quae mutando comparatur aut ea quae mutandi negotio abicitur itave afficitur ut reddatur alia. Haec autem aut sola ponitur, non addita alia re qua ipsa mutetur, aut coniungitur cum significatione rei seu status eius in quem mutetur. Construendi verbi quoniam facile patet illa ratio subiectae solius eius rei quae mutationem patitur, vix opus est exemplum addere quod forte oblatum est, idque non probandae doctrinae sed explicandae causa Her. 1, 57. *ἄλλα πτολίσματα τὸ οὔνομα μετέβαλε*: cuius similia plurima suppetunt. Eius autem consuetudinis, quam extremam collocavi, figura haec est *μεταβάλλειν τι εἴς τι* seu *ἐπί τι*, veluti Her. 7, 73. *οἱ Βρίγες τὸ οὔνομα μετέβαλον εἰς Φρύγας.* Eur. Bacch. 54. *μορφήν τ᾽ ἐμὴν μετέβαλον εἰς ἀνδρὸς φύσιν.* Plat. Rep. II. 381. B. *Πότερον οὖν ἐπὶ τὸ βέλτιόν τε καὶ κάλλιον μεταβάλλει ἑαυτὸν ἢ ἐπὶ τὸ χεῖρον καὶ τὸ αἴσχιον ἑαυτοῦ.* Verum quoniam neutrius rationis hic agitur causa, plura qui desideret, lexica adeat. Iam quaeritur, quomodo habeat *μεταβάλλειν* eo sensu dictum, ut sit mutando comparare aliquid. Ita vero *μεταβάλλειν* posui eum dici, qui sui aliquam partem mutando aliam reddat. Illud vero quod prius erat mutantis quodque mutando aliud fit, aut nominatim additur figura quae est *μεταβάλλειν τί τινος* aut facile intellegitur eiusdem fuisse qui mutare dicitur. Sic additur Soph. El. 1260 ss. *τίς οὖν ἂν ἀξίαν — μεταβάλοιτ᾽ ἂν ὧδε σιγὰν λόγων;* non addito pretio, quo comparetur, sola ea res quae comparatur mutando posita est Eur. I. A. 343. (Nauck.) [*Ἀγαμέμνων*] *μεταβαλὼν ἄλλους τρόπους*: verum ita ut diserte dicatur, abiectos mores priores fuisse eiusdem Agamemnonis; quod si quis accuratius explicare velit, figuram compleat *τῶν προτέρων.* Locus enim hic est: — *μεταβαλὼν ἄλλους τρόπους*
τοῖς φίλοισιν οὐκέτ᾽ ἦσθα τοῖς πρὶν ὡς πρόσθεν φίλος.
— Haec igitur omnia contra Bernhardyum faciunt: namque hanc consuetudinem si cadere velis in locum Plutarchi, sponte apparet, et ipsum *ὄγκον* et *τὸ πικρὸν καὶ κατάτεχνον τῆς κατασκευῆς*, priusquam a poeta mutarentur, eiusdem fuisse Sophoclis qui illa ab Aeschylo repetierit, quibus abiectis tertium demum orationis genus mutando sibi comparare dicatur. At non continetur his finibus regimen verbi quod est *μεταβάλλειν.* Immo ipse ille locus Platonis, quem in exordio adnotationis posui, omnino quadrat in explicationem Bernhardyi Locus autem hic est: *εἶδος γὰρ καινὸν μουσικῆς μεταβάλλειν εὐλαβητέον ὡς ἐν ὅλῳ κινδυνεύοντα· οὐδαμοῦ γὰρ κινοῦνται μουσικῆς τρόποι ἄνευ πολιτικῶν νόμων τῶν μεγίστων.* Exposuit philosophus de novis musicae artis vel gymnasticae modis, quos pravi in republica homines inducturi essent, omnimodo prohibendis: antiqua servanda esse, ne si

tibus quales sunt εἶτα — τρίτον ἤδη. Dixerit sane quispiam, εἶτα servire non temporum tantum, sed etiam rationum ordini enumerando, ἤδη vero adiunctum ad participium quod praecedit διαπεπαιχώς etiam ea vi esse, ut continuum quasi progressum significet eius qui ab alterius verbi actione vix perfecta protinus iam ad alteram procedat: idque prorsus convenire contenderit Sophocli, ut qui grandiloquentia Aeschyli statim ab initio relicta nullo interiecto spatio ad moratum idque optimum genus evolaverit. Verum cum sint ἤδη particulae hoc modo usurpatae exempla rarissima[76]), tum propius debebat accedere ἤδη ad illud quocum una intellegeretur participium. Deinde vero si totam sententiam ita comprehendas, ut prius illud, quod est sive διαπεπαιχώς sive aliud quid, subito mutatum intellegatur in perfectissimum Sophoclis genus, molestae sunt εἶτα — ἤδη coniunctiones: quae partes natura sua intervallis positis progressum ita morantur, ut continuus haberi vix possit. Is igitur locus quem legimus vereor ut aliter percipi possit ac si revocatis εἶτα — τρίτον ἤδη ad temporum consequentiam intellegas de eiusdem poetae progressu, qui alio tempore aliud deinceps genus assumpserit. Hac igitur lege concessa, ἤδη non iam illud est quod semel adversariis concessurus partibus coniunxi cum participio: „iam; sogleich“, sed quod illo tempore poeta dicere

---

quis novos modos canat, modis potius quam poematis animos advertant ii qui audiant. Iam pergit: δεῖ δ᾽ οὔτ᾽ ἐπινοεῖν τὸ τοιοῦτον οὔτε ὑπολαμβάνειν· εἶδος γὰρ κ.τ.λ.; nusquam enim in arte musica res novas moveri, non legibus simul publicis commutatis. Hactenus philosophus disputat: qui autem ab eo inducitur novarum rerum in musica arte studiosus, etsi cogitari possit, et ipsum hunc aliquamdiu contentum fuisse iis quae a maioribus acceperat, tamen cardo rei non hac in vituperatione versatur, quod quis non unam ac constantem suae artis tenuerit viam, sed quod abiectis iis quae a maioribus tradita erant, nova inducere conatus sit. Quae condicio quam similis sit Sophoclis eius quem Bernhardyus informat, facile colligitur. Μεταβάλλειν certe εἶδος, ut nude ponitur non addita ea re quae mutatione abrogetur, Platoni non is dicitur, qui suum artis musicae genus mutando aliud reddiderit, sed qui abalienata hereditate priorum novum sibi genus creaverit. Itaque ex hoc verbo iure meo negavi quidquam confici posse contra Bernhardyi rationes, quae num aliunde felicius tententur, iam experiri licebit.

76) Krüger Griech. Sprachl. §. 56, 10, 3. Noluit, ut in Syntaxi, ea de re uberius exponere Bernhardyus Griech. Synt. p. 476 extr.

potuit: „nunc; jetzt, nunmehr.“ Eidem porro tempori, quo Sophocles illud vociferatus est, convenit praesens quod legitur **μεταβάλλειν**, quod a poeta aliquanto post dicente haud facile referas ad illam aetatem, cum Sophocles iuvenis fere, neglecto Aeschyli tumore, moratum extemplo genus dicitur mutavisse [77]). Denique vero uno argumento facile tota res conficitur, quod sicut a Plutarcho philosophi a panegyricis et artificiosioribus orationibus ad aliud genus transire dicuntur, consentaneum est eum modo poetam apte cum illis conferri qui et ipse ab altero genere ad alterum processerit [78]).

Iam vero horum, qui ipsum Sophoclem aliquamdiu retentum esse censent studio quodam tumidae ac perversae artis, alius aliam viam instituit qua locum expediat. Ac primum quidem, retenta lectione librorum *διαπεπαιχώς*, Muelleri Eduardus quique fraterno animo cum eo consentit Odofredus [79]) singularem proferunt interpretationem vocabuli *διαπαίζειν*, quod sit ***ludicra quasi ac puerilia exuere.*** At vero cum facile intellegatur, quid sit Platonis quod sibi praemuniunt *παιδιὰ διαπεπαισμένη* [80]) — verborum enim quae ex eadem radice procreata sunt alterum altero explicatur —: haud facile idem transfertur vocabulum *διαπαίζειν* ad *ὄγκος*; nec si forte transferri patiantur grammatici, sensus omnino aptus proditur. Quid enim?

---

77) Contenderit quispiam, Sophoclem, cum illud vociferaretur, hoc genus, quod quondam mutaverit, mutatum etiam tunc continuo exercere sibi visum esse; quae autem inde ab initio, quod ipsum in praeterito tempore positum fuerit, continuo exerceantur, praesenti forma dici (cf. Bernhardy Synt. p. 370. Krüger l. c. §. 53, 1. c. nott.). Verum cavendum est, ne, non cogente re, ultra fines intra quos apud optimos scriptores continetur locum huic rationi statuamus. Neque vero infinitivi praesens tempus quod pendet a verbis subjectivis (Bernh. l. c. 365 s. 370) ullo modo potest contendi. Primum enim aptum ab eiusmodi verbis praesens ponitur pro futuro (l. c. p. 370 extr.), non pro perfecto. Deinde vero ipsum illud *λέγειν*, nisi forte morate dicitur, ne est quidem verbum subiectivum. Itaque cogimur, quoniam quidem legitur praesens tempus, omnino referre illud Sophoclis ad eam aetatem, quum, recens mutato genere artis, id quod modo perfecisset professus est.

78) Cf. Ed. Muellerus l. l. I, p. 223: cuius cum universum consilium secutus sim, nonnulla tamen aliter curanda erant.

79) Odofredus loco quem laudavi II. 116 not. Eduardus l. l. I. 224.

80) Plat. Legg. VI, 769 A.

quis quaeso, nisi qui tenuitate plus quam Euripidea cor astrictum habet, opinabitur tumorem illum Aeschyleum, quamvis vitiosus sit, ludibrii instar quod quam primum abiceretur habitum esse a Sophocle? Neque vero magis probatur quod ipse is qui protulit [81]) obiter tantum videtur coniecisse ***διαπεφευγώς***. Ut omittam de commutatione litterarum audaciore quam qua opus erat — quam quis excuset audiendi vitio, permiro eo quidem, potuisse oriri --: at vero notissimum est vocabulum, quod etsi minus proprie dicatur de poeta artis vitia vitante, tamen ubi semel extabat, quomodo aut ab audiente aut a legente ita contorqueri potuerit, non facile intellegitur. Dein speciose protulit Bergkius emendatum ***διαπεπλακώς*** [82]); quod cum ipse exposuerit quam aptum sit temperantiae Sophoclis aliquanto moderatiori Aeschylo, nolo insuper addere. Neque enim reiciendam putarem emendationem eximiam, nisi alia offerretur et facilior neque minus apta. Quod autem Bernhardyus emendavit [83]) ***διαπεπλιχώς***, commendatur quod proximum est librorum lectioni ac tam facile curatum, ut litteram plerumque ambiguam non dudum mutatam esse mireris. Hoc tamen addo, ne hoc quidem ***διαπλίσσειν*** referendum esse ad eum qui praeterierit illud quod obvium erat, sed ad eum qui ipse transierit. Nimirum ut mos fert grammaticorum in vocabulo rariore quodque ipso eo sensu, qui hoc loco desideratur, haud scio an nusquam reperiatur, omnia debebis ad analogiam exigere. Hoc autem ***διαπλίσσειν*** ut figurate dictum est, necessario refertur ad ***διαβαίνειν***, quod est eius qui flumen transeat [83b]). Ego vero nolo quidem illud praeter modum extollere, quod significatur, quae est proprietas vocabuli ***πλίσσειν*** s. ***διαπλίσσειν***, ***distentis quasi pedibus varicare***: etsi hunc incedendi modum ludens quis optime dixerit ei convenire cui tumidi et abundantes fluctus transeundi sint. Verum quamvis extenues importunam hanc vocabuli proprietatem: si quidem ad imaginem eius qui flumen transeat necessario revocamur, manet significatio eius qui non praetervectus sit quasi scopulos, quod quis

---

81) Schoellius l. quem attuli in nota 61.

82) l. l. p. XXXI a. c. annot. 125.

83) Bernhardyus Hist. Litt. Graeccarr. II. 2. p. 305.

83 b) *διαβέβηκα* explicat et ipse Hesychius.

ad similitudinem nuncupaverit *παραπλίσσειν*, sed tamquam fluctus transierit. Hoc vero ad unguem resecatum si in rem nostram transferimus, concedas sane non diutius Sophoclem Aeschyli vestigia pressisse in modum eius qui flumen secutus sit vel ipso flumine delatus: at hoc usque tenendum erit, Sophoclem cum haec vociferaretur, sibi certe visum esse aliquamdiu tumore Aeschyleo usum ac perfunctum, quemadmodum eum qui *διαπεπλιχώς* dicitur necesse est ipsum undis tangi, sive tu illum imbutum putabis sive tinctum sive aspersum.

Quodsi effectum est, per tres illos quasi gradus artis Sophoclem sibi visum esse ascendisse: iam singuli qui fuerint gradus, inquirendum est. Atque *ὄγκος* quidem quin sit sublimitas quae cuipiam nimia videatur, non dubium est, siquidem a veteribus praedicatur Aeschyli *μεγαλοψυχία* seu *μεγαλοφωνία* seu *ἥτε τοῦ Αἰσχύλου μεγαλοφροσύνη καὶ τὸ ἀρχαῖον, ἔτι δὲ τὸ αὔθαδες τῆς διανοίας καὶ φράσεως*[84]). Quod autem *διάνοια* commemoratur, quae qualis sit explicuit Aristoteles Poet. 6, 8. 19 in.[85]): etsi facile cognoscitur non in delectu tantum verborum contineri sublimem illam audaciam, tamen quoniam in oratione sententiis ornanda apteque ad id quod propositum est instituenda versatur et ipsa *διάνοια*, eae partes in quibus sit *ὄγκος* conspicuus pertinent ad orationem[86]). Quamvis autem Bergkius monuerit, ne quis ad dicendi tantum genus referat haec quae in Plutarchi loco aut Aeschyli propria aut Sophoclis traduntur: excepta non dico inventione vocabulorum sed omni orationis arte, quid praeterea cogitaverit vir doctus in quo sit *ὄγκος* conspicuus, non intellego[87]). Neque vero si ultra illud quod est in oratione

---

84) Dio Chrys. Or. LII. p. 267.

85) Ar. Poet. 6, 8: *διάνοια δὲ, ἐν ὅσοις λέγοντες ἀποδεικνύουσί τι ἢ καὶ ἀποφαίνονται γνώμην.* — 19 in: — *τὰ μὲν οὖν περὶ τὴν διάνοιαν ἐν τοῖς περὶ ῥητορικῆς κείσθω.* (Librorum igitur de arte dicendi propriam habebat Aristoteles quaestionem *περὶ διανοίας* instituendam.) *ἔστι δὲ κατὰ τὴν διάνοιαν ταῦτα, ὅσα ὑπὸ τοῦ λόγου δεῖ παρασκευασθῆναι* sqq. —

86) Cff. Dion. Halic. de comp. verbb. c. 22 (ed. Tauchn. p. V. pag. 74. 75); de admir. vi dicendi in Demosthene c. 37 (ibid. VI. p. 215). Vitae Scriptor Aeschyleae adscriptus a Bernhardyo l. l. p. 249.

87) Bergkius l. l. p. XXXI a. Monito illius facilius obsequemur in iis quae reliquae sunt partibus duabus: *κατασκευήν* dico et *ἠθικώτατον εἶδος*. Verum in reliquiis fabularum quas ad primordia artis Sophocleae refert, ne

ὄγκον regnare velis, facile inveneris quomodo secernas eum a partibus κατασκευῆς illius quae vocatur, cuius quidem ab Aeschylo institutae τὸ πικρὸν καὶ κατάτεχνον notatur. Primum igitur hoc usque tenemus, e suo ipsius iudicio eum habendum esse Sophoclem qui aliquamdiu sublimitatem Aeschyli fere similem in vocabulis inveniendis atque in struenda oratione adamaverit. Verum diversa est quaestio quaeque suo iure teneatur, num in iis quae extant tragoediis aut fragmentis tumoris quid simile reperiatur: de qua re cum certum iudicium tutumque ab omnibus partibus pronuntiare adhuc non audeam, quae disputare potui in excursum conieci[87 b]). Unum huc recipio, in qua re quasi cardo versatur totius eius quam separatam subiungam disputationis. Bergkius sane cum alias aliquot fabulas tum eas quae a choro nomen traxerint maximam partem ad hoc tempus ineuntis poetae artis revocavit. Equidem vero etsi non omnino ei assentior, tamen inspecta copia atque indole verborum quae in his fragmentis reperiuntur, choricarum potissimum fabularum reliquias insignes esse intellexi vocabulis quae aut ipsum ad Aeschylum principem aut ad similitudinem quandam eius artis revocari patiantur. Collatis dein septem quae integrae extant tragoediis alterum quoque apparuit, in compositione saltem nominum ab Aeschylea consuetudine, quam initio pressius secutus erat, Sophoclem magis magisque descivisse. Haec qui accuratius perspicere volent, in excursu quanta maxima potui fide exposita reperient.

Iam ascendimus ad alterum gradum artis Sophocleae, lubricum sane disputandi locum et in quo certa vestigia ponere vix audeam. Lapsi quidem, ubi hunc campum attigerunt, viri conciderunt ceterum et doctrina insignes et acumine neque sensu veri aut pulcri iidem ullo modo destituti, Lessingius et Muelleri fratres. Ac Lessingius quidem supra notatus est, quod de adornatione scenae ac vestium cogitaverit. Ea autem etsi facile κατασκευή vocari poterat, tamen scenae apparatus nimium one-

---

ipse quidem aliud quidquam nisi vestigia sermonis ad Aeschyli consuetudinem conformati satis manifesta deprehendi praedicat, ibid. in columna altera.

87 b) Hunc excursum in libello scholastico qui e Paedagogio Regio hoc autumno prodibit seorsum edere propositum est.

ratus et formidolose exstructus a Sophoclis arte (nisi forte in satyris tale quid sibi indulsit) omnino alienus fuit, ut vix intellegatur quomodo hanc rem posterius vitasse seu effugisse dicatur qui numquam omnino attigerit. Quamquam Lessingius taetram scenae adstructionem non vitatam a Sophocle, sed ab Euripide elusam intellegi vult: itaque cum eum, quod a cardine rei aberraverit, maximo virorum doctorum consensu reiectum insuper refutaverimus, iam quod singulas partes perverse tractaverit culpa in idem vitium translata facilius excusamus: praesertim cum a recentiore nullo eius sententiam resuscitatam esse sciamus; certe ne Welckerus quidem, quamquam in universum sibi cum illo convenire significat, hunc errorem denuo commendavit. Ed. autem Muellerus in Xylandri partes videtur concessisse; commemorat enim etiam in hoc gradu de pondere ac tumore orationis, quemadmodum interpres ille Plutarchi de oratione artificiosius instructa ac figuris quasi oppressa Sophoclem dixisse putabat. Dicitur autem *κατασκευή* apud rhetores cum saepissime structura et compositio orationis, tum artificiosa instructio orationis et apparatio quae a simplicitate abhorreat[88]. Tamen repugnat Muellero ipse sensus ac progressus loci Plutarchici: quomodo enim, si in primo gradu erat *ὄγκος* collocatus, in altero *τὸ πικρὸν* illud *καὶ κατάτεχνον τῆς κατασκευῆς*, secernamus quibus in partibus alterutrum vitium conspiciatur? Odofredus porro Eduardi frater quod *τὸ πικρὸν κτλ.* interpretatur austerum quoddam et asperum genus quod nimio artis limaeque studio sit effectum, videatur cuipiam ad omnem fabularum compositionem respicere: tamen ubi ad singula ventum est, totus in oratione diiudicanda versatur. Etenim cum lene orationis flumen quo Oedipos vel Philoctetam legentes permulceamur praeferat artificiis et obscuritati studiose affectatae quae in Antigona Electra Trachiniis lectores morentur[89]), quid quaeso

---

88) Dion. iud. de Isaeo c. 16. Diog. L. 7, 1, 40. Cf. quae Thesauri editores Parisienses adnotaverunt s. v.

89) Odofr. Mueller Hist. Litt. Graec. II, 115, 3: „In der Antigone, den Trachinierinnen und der Electra ist wohl noch etwas von der Künstlichkeit und gesuchten Schwierigkeit, die Soph. an sich selbst tadelte; Aias (?) und Philoctet sowie die Oedipe zeigen unverkennbar einen leichten Fluss der Rede und lesen sich mit geringerer Anstrengung."

restabit nisi ut vitium quod orationis lenitati contrarium sit et ipsum in oratione positum esse arbitremur? Sic paullum certe a fratre recedit.

Iam dispicitur, facile interpretationem proferri quae per se tolerabilis videatur, difficultates autem quam maximas oboriri, si quis ad hunc gradum artis aliquanto provectioris, quam suo quisque arbitrio circumscribit, singulas Sophoclis tragoedias revocare conetur. Idque haud scio an etiam iis usu venerit qui nuperrime de hac re tractaverunt: viros illustrissimos dico Bernhardyum et Bergkium. Quodsi illi viri litterarum Graecarum peritissimi, quorum ad sententias apte perpensas quicunque in his studiis versantur observanter attendunt, rem non ab omnibus partibus explanaverunt, non equidem diiudicabo, verum significem quid in utraque sententia minus perspicuum mihi quidem adhuc videatur.

Consentiunt autem Viri Illustrissimi, quod κατασκευὴν uterque non ad structuram orationis, sed ad totius fabulae compositionem refert: idque reiectis priorum erroribus facile probatur. Iam vero Bernhardyus primum τὸ πικρὸν καὶ κατάτεχνον τῆς αὐτοῦ κατασκευῆς quod legit: id, etsi αὐτοῦ **eius** attributive positum paullo insolentius dicitur, tamen non destitutum est exemplis scriptorum qui usum sibi liberiorem indulgent; deinde explicat apparationem illam Aeschyli propriam, quam Sophocles sustulerit, positam fuisse in genere amariore atque in responsione artificiosa et in fabularum decursu perquam directo. Quod autem tumore statim ab initio sublato haec quoque artificia molestiora in ipsis postprincipiis artis a Sophocle relicta esse existimat, iam ubi peculiarem hanc artis Aeschyleae indolem lineamentis quibusdam adumbravit, munere suo omnino perfunctus est. Neque enim coactus est propria ratiocinationis suae necessitate, ut vestigia illius moris, quem Sophoclem abiecisse dicit, amplius per eius tragoedias indaget. Ultro igitur facit ut austerum quoddam de rebus humanis iudicium proponi significet in Oedipo Rege, quae fabula etiam citra postprincipia artis collacatur[90]). Itaque omnia iam optime convenirent, modo persuasisset nobis Vir Summus de significatione

---

90) l. l. p. 304. 305: „eine spröde Weltanschauung, wie etwa im Oed. R“

ipsius eius quod commendavit *διαπεπλεγμένως*. Idem vero cum neget omnino austeri quidquam aut argumenta aliquanto rigidiora in Sophoclis tragoediis reperiri, tamen non potuit quin Antigonae potissimum in censura eam imaginem nobis informet, cuius nonnullae partes prope absint ab ipso illo quem sentiri negat rigore austero. Commemorat enim de natura eius tragoediae severiore et quasi pathetica, quae et ipsa causa fuerit sermonis alti pressi artificiosi, de repugnantia hominum utrimque sibi adversariorum, quorum alibi nusquam acrius sit intentum certamen, de pertinaci virginis insolentia quae ultra modum ac naturam procedens divinitus quasi offirmata videatur[91]. Verum specie tantum repugnant, quae recte intellecta optime inter se conveniunt. Non enim ad rigidam austeritatem, sed ad sublimem quandam severitatem dicuntur pertinere, quae naturae fines excedere videantur[92]. Neque huic rationi equidem adversabor, sed quamvis verendum sit ut perperam intellexisse dicar, significabo tamen id quod intellexisse mihi videor, ne Bergkium quidem, qui adversarias tenet partes, rigidiora quae

---

91) Ibid. p. 317: „Es lag im erhabenen Stil dieses Drama und in seiner strengen pathetischen Stimmung, dass der Ausdruck tief gedrungen und künstlich war.“ — ibid. p. 319: „Soph. hat nirgends die principiellen Gegensätze straffer angelegt, und hierdurch ihren beiden Trägern mehr als sonst einen idealen fast abstracten und typischen Character nach Art einer Maske aufgedrückt. Doch am schärfsten und härtesten der Antigone, deren Wesen ohnehin ein dämonischer Grundton durchzittert etc. — Similiter Oedipum Regem Bernhardyus semel appellat p. 322: „ein schroffes Intriguenstück“: quamquam, ne huic iudicio nimis insistamus, maiore etiam laude effertur sublime eius fabulae consilium, apta argumenti dispositio, moratum denique genus in personis describendis. — Porro in Aiace miratur Vir Illustrissimus immotam fortunarum ac vitae contemptionem p. 331 infr., atque finem tragoediae etsi necessarium ac Sophocleum tuetur, tamen acerbum et dissonum et orationi forensi magis quam poetico sermoni cognatum esse concedit p. 335. — Quae iudicia etsi concedo non repugnare inter se, cum ad diversas partes pertineant: hoc tamen ipsa e disciplina magistri efficere cogimur, inesse in his fabulis peculiare quoddam genus et quod diversum nonnusquam sonet, etsi poetae virtuti tragicae minime officiat.

92) Cf. p. 304: „die Meisterwerke des hohen und strengen, aber idealen Stils“, et p. 317 de Antigona: „Es lag im erhabenen Stil dieses Drama“, et quae sequuntur v. n. 91.

dicit argumenta et austeritatem illam omnino existimasse vitiosa et quibus de tragica Sophoclis laude deminuatur; sed quamvis aliquantum absint a perfecta artis specie, nihilominus in iis propriam poetae virtutem atque indolem plane asserit apparere; deinde vero hanc acerbitatem maturae aetatis inter Graecos nonnullis etiam probatam fuisse insuper addit[93]. Nimirum comparative omnino, quantum intellego, a Bergkio iudicatum est, ut dicantur artificiosa et austera quae esse videantur collata cum lenioribus ac placidioribus tragoediis iis quae e senectute Sophoclis traduntur. Intercedere autem eiusmodi discrimen qui nesciunt, ex ipsis eis quas Bernhardyus instituit septem tragoediarum censuris facile discent.

Contra Bergkius legit *τῆς αὑτοῦ κατασκευῆς*, quod facilius sane curatum est, verum non necessarium, siquidem *αὐτοῦ* pronomine attributive posito sponte intellegitur, ***ipsius*** apparationem a Sophocle praedicari, non Aeschyli. Refert igitur Vir Illustrissimus *τὸ πικρὸν καὶ κατάτεχνον τῆς κατασκευῆς* ad propriam Sophoclis artem, in qua sui quam maxime fuerit similis, atque ad eam de qua iam commemoravimus artem rigidam interdum et artificiosam. Idem vero etsi primus quod sciam inter recentiores hanc de austera Sophoclis arte protulit doctrinam, tamen ubi ad singula diiudicanda ventum est, vestigia eius austeritatis non indicat. Nam quod in Aiace et Trachiniis inaequabilem argumenti dispositionem castigat, ipse eas fabulas quales nunc leguntur a Sophocle profectas esse negat. Quae autem ostendit Vir Illustrissimus indicia severioris cuiusdam artis et simplicioris quae in his fabulis deprehendantur, his mihi quidem persuasit de aetatibus fabularum, de rigida arte non probavit. Bergkius enim, quo intellegamus quas vicissitudines Sophoclis ars subierit illo tempore quo Antigonam Electram Oedipum Regem composuerit, duas partes comparat, quarum altera magis in dies imminuta sit, altera aucta in dies: nimirum ut in quaque fabula melicae partes magis in arctum contrahantur, ita trimetros neglegentius curari et solutiones saepius admitti probat exemplo Antigonae Electrae Oedipi prioris Philoctetae. Deinde vero etiam hoc antiquae simplicitatis, cuius Aechylus fuerit studio-

93) Respicit ille ad Polemonem philosophum, qui Aristophanem et Phrynichum secutus hanc severiorem artem praetulisse dicitur Diog. L. 4,20.

sus, documentum exhibet, quod sola in Antigona fabula nusquam versus inter duas personas dividitur, in Trachiniis autem Jole semper silentium servavit [94]). Jam haec indicia ut recte observata sunt, ita simplicitatem quandam ac severitatem, quam ad Aeschyli artem referas, aperte produnt: rigidi vero aut austeri nihil in illis deprehendo. — Attamen quinque illae tragoediae, quas ab Antigona inde usque ad Trachinias Bergkius recenset, possint cuipiam austerae videri, ubi cum reliquis duabus contenderit. Hae enim ad leniorem et placidiorem exitum perducuntur, Philoctetam dico et, ni Schoellius intonuerit, Oedipum Coloneum: in illis vero fabulis qui inducuntur heroës culpa quadam impliciti, dîs adversis et fatali numine fracti in asperam vitae condicionem deiciuntur. Verum hoc discrimen, quod etsi tangitur apud Aristotelem poet. 13, 5 tamen ab arte tragica veterum alienum est, sapientiae exotericae hominum elegantiorum relinquam.

Ut revertar ad controversiam Virorum Illustrissimorum, videtur sane alter, etsi austeritatem Sophoclis fuisse alienam iudicat, severae tamen artis sed eiusdem sublimis exempla ipse illustrare: alter, qui austeritatem deprehendit, saltem non ostendit. Jam ipse, quae est mea indoles ac natura a philosophorum disputationibus omnino aliena, disceptantibus Viris Illustrissimis de finibus austeri ac severi non me arbitrum ingero. Nihilominus vero rem aliquatenus expedire cogimur. Patet autem etiamnum duplex via: altera ut nodum non explicemus, sed dividamus Od. Muelleri exemplo docti; altera ut vestigiis quae recte monstravit Bergkius instantes videamus num de summa eius iudicii aliquid detrahamus.

Primum autem, ne quid intemptatum relinquamus, haec via erit inchoanda. Significavit autem Vir Illustrissimus praeter integritatem trimetrorum, quod scimus esse indicium antiquioris aetatis, et mutam in Trachiniis inductam personam quae pertineat ad simpliciorem artis usum, et severitatem eam qua Sophocles in Antigona ab illis quasi hemistichiomythiis quae *ἀντιλαβαὶ* vocantur abstinuerit. Hanc autem licentiam in dividendis versi-

---

94) Cf. de Bergkii sententia Comm. p. XXXII—XXXVI.

bus inter duas vel plures personas, ut longius processerit Sophoclis ars, ita frequentius admissam esse iam accuratius exponam.

Ἀντιλαβαὶ enim cum ab Hesychio explicentur ἀντιλογικαὶ ῥήσεις ἐξ ἡμιστιχίων λεγόμεναι κατὰ μικρὸν παρὰ τραγικοῖς, tamen ut uno negotio totam quaestionem absolvam, omnes versus contuli, quibus in mediis alterius personae oratio desinat vel abrumpatur, incipiat altera. Secerno tamen illas ἀντιλαβὰς quae proprie vocantur ab his versibus quorum prior aut posterior pars, disiuncta quidem ab altera eiusdem versus parte, cum versibus sequentibus aut praecedentibus uno eiusdem orationis decursu contineatur: quod quantum intersit a figura quae proprie vocatur, praesertim cum Aeschyli artem conferas, exposuit Wilmsius in libello scholastico (Ueber die Responsion der Personen in den κόμμοις des Sophocles. Progr. Burgsteinfurt 1858 p. 8). Praeterea annoto, ubi tres atque etiam quattuor personae in uno versu se excipiant. Respexi autem sola ad diverbia, cum partium melicarum diversa sit ratio, de qua exposuit Wilmsius l. c. Accuratius etiam si quis in hanc rem inquirere volet, secernere debebit, utrum sint ἀντιλαβαὶ incitati sermonis et altercationis, an simpliciter contineant partes interrogantis ac respondentis. Verum id discrimen hoc loco neglego. — Jam cum in Antigona eius rei exemplum nullum inveniatur, in Electra quindecim versus inter plures personas divisi sunt, e quibus novem ἀντιλαβαὶ quae proprie vocantur, quinque exempla in quibus oratio aut praecedentibus inchoata aut continuata sequentibus medio versu terminatur, unus denique occurrit versus 1502 tripartitus. Totidem ἀντιλαβαὶ leguntur in Oedipo Rege, sed omnes fere ad proprium genus pertinent, uno excepto versu 1522, in quo qui Oedipum excipit Creon orationem proximo versu continuat. Deinde insignis est omni genere divisionum Oedipus Coloneus, in qua fabula quadraginta quattuor extant exempla, e quibus viginti septem ἀντιλαβαὶ quae proprie dicuntur, sedecim in quibus versus dimidiati cum proximis versibus cohaerent, unum iterum exemplum tripartiti inter Creontem Chorum Oedipum versus 832. Denique vero uberrima est, si mensuras fabularum consideras, et numero et variis generibus divisionum Philocteta, in qua fabula sex et triginta versus dimidiati et in trimetris reperi-

untur et in tetrametris trochaicis vv. 1402 sqq., in quibus non nisi quattuordecim ad simplex genus referuntur, sedecim cum proximis versibus cohaerent, quinque tripartiti sunt vv. 754. 810. 814. 816. 1407, unus etiam in quattuor partes divisus v. 753. Agnoscis sane qui fuerit Sophoclis in exercenda libertate progressus. — Aiacem autem et Trachinias ne in hac quidem parte ad eandem normam exigere debemus, siquidem in Trachiniis omnino quinque reperiuntur exempla satis exilia, quae sine ulla venustate inter sciscitantes personas et respondentes dividuntur, veluti

V. 408 s. — λέγεις
δέσποιναν εἶναι τήνδε σήν; — ΛΙΧ. δίκαια γάρ.
V. 417 s.
τὴν αἰχμάλωτον, ἣν ἔπεμψας ἐς δόμους
κάτοισθα δήπου; — ΛΙΧ. φημί· πρὸς τί δ' ἱστορεῖς;

et quae vv. 876 ss. leguntur in ea parte qua canticum choricum cum carmine commatico coniungitur; in Aiace autem octo reperiuntur ἀντιλαβαὶ eaeque omnes fere in parte priore: non enim leguntur post versum 985.

Jam vero Wilmsius, quem modo laudavi, simili ratione Sophoclem in varianda responsione carminum commaticorum maiorem sibi in dies concessisse licentiam ostendit, p. 1—3. Simplicissima enim et regulis ab Aeschylo traditis maxime obnoxia dicit carmina Aiacis et Trachiniarum, quarum omnino diversa est ratio; simplicis artis iuxta et implexioris documenta reperiri ait in Antigona Electra Oedipo Rege, pauca omnino in Philocteta, cuius rem metricam parum sedulo curatam esse scimus, omnium vero maxime variatam esse fabulam Oedipum Coloneum. Apparet igitur a disciplina severiore Sophoclem magis magisque liberum extitisse et novas quibus Atheniensium animos teneret adhibuisse artes. — Denique cogitabam aliquamdiu, responsionem personarum in dialogo num forte Sophocles per aliquod tempus ad Aeschyli morem adornaverit. Verum praeter trimetros canticis interpositos, de quibus disseruit Wilmsius p. 14., cum nihil eiusmodi reppererim, expectabo si Weilius, qui studio indefesso Latine Gallice Germanice duobus populis atque universae civitati litterariae leges de responsione dialogi Aeschylei promulgat, Sophoclem quoque hac lege teneri deprehendat.

Hoc certe effectum est, responsionem personarum in carminibus lyricis pariter atque incitatiorem quasi *ἡμιστιχιομυθίαν* Sophoclem primum, cum sequeretur severiorem artis consuetudinem, caute tentasse, deinde suo ingenio doctum liberius exercuisse. Quodsi hae partes sunt compositionis non oratoriae sed poeticae, iam Sophocles et praedicavit suo iure, se *τὸ κατάτεχνον τῆς κατασκευῆς* superasse, et hunc progressum optime distinxit a remissione tumoris. Quod autem superest *τὸ πικρόν*, hoc (ut scholastice loquamur) non obiective dictum accipimus quod acrius pungat eos qui audiant, — quorum quidem in animis commovendis ars tragica suam vim exercere et edere effectus debet —, sed ad ipsum Sophoclem revocamus, qui ***sibi duram ac molestam*** fuisse significaverit severiorem illam artis regulam. Molesta enim ea potissimum lex erat quae versum dividi vetaret, propterea quod poeta aut versum complere cogebatur, qua in re cavendum erat a verbis inanibus, aut transire ad lyricas partes, quibus in contrahendis peculiaris Sophoclis cura posita erat. Vocabulum vero quod est *πικρός* durae legi et quae moleste feratur attribuitur duobus in locis, qui etsi apud poetas leguntur, tamen haud scio an a vulgari consuetudine dicendi non multum recesserint: Aesch. Sept. 881. *πικρὰς μοναρχίας ἰδόντες.* Ar. Av. 1045. *πικροὺς ἐγώ σοι τήμερον δείξω νόμους.*

Attamen si improbetur ea interpretatio quae ne mihi quidem prorsus satisfacit, tum demum reliquum erit, ut ad ingenuam ignorationis confessionem confugiamus, qualem et ipse Od. Muellerus edidit. Etenim quod, non tentatis viribus, ingenii inertis videri poterat et pericula devitantis, id eloqui non pudet, ubi ad meliora aspirare conatus sum. Nimirum quoniam a me impetrare non potui ut in sententias Virorum Illustrissimorum concederem: ultra hoc quod protuli me non intellegere quibus in partibus *τὸ πικρὸν κτλ.* contineatur, aperte confiteor. Ea autem fere est sententia Od. Muelleri, qui ante ipsum annum Ol. 84,3, quo anno Antigonam doctam esse scimus, Sophoclem omnes illas vicissitudines subiisse significat [95]). Ac profecto inde ab Ol. 77,4,

---

95) O. Müller Hist. Litt. Graecc. II. 116, quem locum inchoavimns supra n. 89: Jedoch erscheint in allen (sieben Stücken) die tragische Kunst des Sophocles völlig durchgebildet und nur sich selbst gleich; Sophocles

quo tempore Sophocles primum in certamen tragicum descendit, usque ad Ol. 84,3 amplius quinque lustra erant, quibus poeta a primordiis artis facile ad perfectam virtutem eniti poterat. Sic etsi solutionem non dari sed differri sentimus, tamen expectandum erit, donec meliora proferantur.

Denique vero de tertio gradu perfectae omnino et consummatae artis Sophocleae facile est iudicium. Nam quod Sophocles dixit, *τρίτον ἤδη μεταβάλλειν τὸ τῆς λέξεως εἶδος, ὅπερ ἐστὶν ἠθικώτατον καὶ βέλτιστον*, de his virtutibus vix dissensio inter viros doctos orta est: in interpretatione verborum nonnulli elaboraverunt. Schoellius enim [96]) verbum quod est *μεταβάλλειν* praegnanter dictum putat, ut sit fere i. q. ***variare.*** Id vero etsi Graece fortasse dici potuit, quemadmodum Latine Cicero Or. 31,109 Homerum Ennium reliquos poetas et maxime tragicos crebro ***mutasse*** commemorat, quam rem illustrat insuper Demosthenis exemplo, cuius aliae orationes fuerint subtiles, aliae graves, aliae denique variae: tamen ipso sensu ac nexu loci Plutarchici postulari videtur, ut *μεταβάλλειν* ad id genus referamus quod ***recens asciverit*** Sophocles, id quod supra iam exposuimus. Bergkius deinde interponit *τὸ τῆς ποικίλης λέξεως εἶδος*, quod dubito an necessarium sit ad reddendam pleniorem orationem eam quae sane nuda videtur: certe per se aptissimum est vario ac morato generi dicendi in quo Sophocles enituit [97]). Hoc vero ipsum poeta quasi proprium maturae artis suae laudavit. Nam quod Lessingius, Euripidi ut attribueret locum, interpretatus est genus sententiis densum et morum probitate insigne, id quam alienum sit ab arte Sophoclea, ipse exposuit: quod autem Sophoclem, ut poetam vere tragicum, rebus ac moribus suis quemque convenienter dicentem facere praedicat, id ipsa hac sententia significari, non nisi miro errore captus potuit non per-

---

muss die Veränderungen, welche er mit der Tragödie des Aeschylus vornahm, damals schon lange gemacht und danach das Ganze organisch umgestaltet haben!

96) Schoellius l. quem laudavi n. 61.

97) Videtur respexisse Bergkius ad Vitam Sophocleam, in qua laudatur poeta, quod *ἠθοποιεῖ τε καὶ ποικίλλει*: quemadmodum iis qui *τῆς μικτῆς λέξεως* commendaverunt praemunire licet locum *ἤνεγκε δὲ τὰ μικτά*, v. supra n. 69. — Veteres qui de eadem re iudicaverunt alios Bergkius laudavit p. XXXVII.

spicere [98]). Contra recentiores quod sciam omnes consentiunt, et Sophoclis in effingendis moribus praestantiam illo loco intellegi, et Oedipum Coloneum ac potissimum Philoctetam hac ἠθοποιίας virtute insignes esse [99]). Itaque facile concessum erit, ut eius rei testes, etsi plurimi suppetunt, paucos afferam [100]): praesertim cum supra, quid sit ἦθος atque ἠθικὸν γένος, copiosius exposuerim [101]). Unum insuper commemoro quod Bergkius annotavit, qui aliis in rebus Euripidem ad formandam Sophoclis poesin valuisse censet: sedulo Sophoclem curasse, ut personae et in agendo et in loquendo servent dignitatem neque incidant in forensem illam loquacitatem qua Euripides gaudeat [102]). Quod quam bene conveniat illi Sophoclis de arte sua iudicio, quod traditum ab Aristotele supra explanavimus, addere non opus est.

Tandem ut absolvamus: qua occasione Sophocles de arte sua eiusque gradibus sic iudicaverit, ambigitur inter viros do-

---

98) Cf. quae supra disputavimus p. 26 ss.

99) Insuper ad hanc aetatem atque etiam ad Euripidei characteris similitudinem Bergkius (p. XXXVIII a.) revocavit Aleadas Aleten Creusam Phaedram Tereum: sed vereor ut aliis ex indiciis de ea re confici possit quam sententiarum copia, permagna ea quidem, sed in qua moratum genus dicendi non consistat.

100) Contentus ero, duos laudasse aestimatores peritissimos, Od. Muellerum et Bernhardyum. Ille autem sic iudicat l. c. p. 132: „So ist dies Drama (Philoctet) in seiner auf das Verhältniss dreier Charactere gegründeten Anlage höchst einfach, — — aber in der folgerechten tief angelegten Entwickelung leicht das kunstvollste und ausgearbeitetste von allen Werken des Sophocles. — Bernhardyus autem l. c. p. 336 s. „Die Stärke dieser Tragödie liegt in dem durch Unglück gehärteten Character der Hauptperson, welcher unter den wechselnden Einwirkungen leidenschaftlicher Situationen sich erhebt und die Gegner überwindet. Es ist kein geringer Vorzug, dass S. allein aus der meisterhaften Charakteristik und nicht in mannichfaltiger Handlung jenen Reichthum spannender Motive entwickelt, welcher einen an sich beschränkten und schwierigen Stoff in immer neue Wendungen verflicht und ihm ein steigendes Interesse gibt; doch zügelt er sie mit so kluger Sparsamkeit, dass aus der Gegenwirkung dreier Charactere sich ein vollkommener Kreislauf innerer Zustände gestaltet.

101) v. supra pag. 28 et n. 68.

102) Bergkius l. l. p. XXXVIII a, cl. XXXVI b, quem locum dedimus supra n. 22.

ctos. Lessingius enim antequam Euripidem auctorem iudicii commendat, cum neget nisi in libro de choro dictum illud potuisse extare [103]), necessario litteris a Sophocle mandatum fuisse videtur arbitrari. Idem vero coniecit Ferd. Schultzius [104]): quasi omnino necesse fuisset, ut Sophocles id litteris exararet, quod si voce iecerat, aliorum in libris exceptum Plutarcho tradi potuit. Ipsa autem haec sententia etsi consultius paullo et consideratius prolata videtur quam quas obiter in Aeschylum et Euripidem coniecit voces, tamen commodissime poterat exhiberi in collegio illo poetarum, quod Sophoclem instituisse Vitae Scriptor Istrum secutus testatur [105]). Hic enim facile suspicamur opportuniores quam ullo alio loco Sophocli multas saepe oblatas esse causas, cur poetis eidem arti deditis exponeret, quae cum Aeschylo sibi intercessisset necessitas, quid ipse usu artis ac progressu doctus esset. Illis autem, qui et ipsi artem exercerent et trium principum tragicorum omnes fere fabulas audirent vel legerent, suffecit paucis adumbrata esse ea quae, maximo fabularum numero temporum invidia deleto, nobis quidem difficiliora sunt ad intellegendum.

Repetentibus autem memoria, quid Sophocles quoque iure iudicaverit de sua arte aeque ac de Aeschylo et Euripide, paullo accuratius licebit describere qui fuerit is quem Schlegelius informat poetam philosophantem [106]). Sophocles enim non solum divino quasi instinctu afflatus divinavit quodammodo, quid poetam tragicum deceret, neque vero idem universales quasdam rationes de arte eiusque natura excogitavit, sed aequalium tragicorum poemata comparavit et ad suam artem ipse attendens, quae relinquenda essent, quae tollenda, usu didicit. Id autem vel maxime proprium erat Sophoclis, ut finibus contentus, quibus a philosophis poetae segregantur, nisi data occasione de arte non exponeret. Librum enim de choro quae fuerit causa cur

---

103) Lessingius Opp. vol. X. p. 55.

104) Ferd. Schultzius de vita Sophoclis p. 131.

105) Bergkius qui de hoc collegio disputat p. XIX a, et ipse Sophoclem simili usum occasione illa iecisse existimat p. XXXI a.

106) Non habui quomodo redderem alio et uno vocabulo id quod Germanice est „ein denkender Künstler"? V. de Schlegelio supra n. 10.

scriberet, satis probabiliter significavit Bergkius[107]): quae praeterea protulit iudicia, ea vel liberiore in colloquio amicorum vel poetarum in collegio edita esse ipsi exposuimus.

Sed haec hactenus. Contentus ero, quamvis multa imperfecta sciam, modo nonnullis partibus clariorem lucem allatam esse a viris horum studiorum peritis iudicetur. Ipsi autem mihi duplex relinquitur negotium: primum ut continuo studio in Sophoclis artem inquirens, quas in partes cadant illa iudicia, accuratius etiam explanem; deinde ut quid de Sophocle vel aequales alii vel aliquanto posteriores iudicaverint amplius persequar. Hoc enim vel persuasissimum mihi habeo, non solum ad universales rationes et philosophorum placita poetas diiudicari oportere, quem proprium sibi campum deligit Schoellius, sed ad temporum et populorum ingenia, ad studiorum rationes et artium vicissitudines eos referri debere. Quae via cum in enarrandis litteris antiquis feliciter teneatur, fore spero ut recentiores etiam alter aliquis Lessingius liberet a turba doctorum indoctorumque hominum, qui pro arbitrio sibi sumunt ut bella ac nitida opuscula de litteris ac poematis composita nostratibus quamvis invitis obtrudant. Rectam viam gaudeo quod paucis abhinc annis monstravit Loebellius, cuius in auctoritate laudanda lubens desino. Sic autem iudicat:

„Auseinandergehen werden die Urtheile in manchen Stücken immer; zu ihrer Annäherung in den wesentlichsten ist die historische Kritik weit tauglicher als die blos ästhetische, die von den Grundsätzen der philosophischen Systeme, aus denen sie hergeleitet wird, mehr oder weniger abhängig, mit diesen dem Wechsel unterworfen ist.“ (Entwickelung der deutschen Poesie von Klopstock bis Göthe, 1856. I. p. XIII s.)

---

107) Bergkius l. l. p. XXV.

VITA.

Carolus Georgius Gustavus Weicker Oppaci in vico Lusatiae superioris patre Carolo Gustavo Adolpho V. D. ad Oppacenos ministro, matre Luisa quae filia fuerat Joannis Georgii Schmohl Gibicum incolentis, natus sum anni h. s. XXXVII. d. XXIII. m. Januarii et in ecclesiam receptus evangelicam et per quinquennium fere educatus. Patre orbatus una cum matre fratribusque Budissam migravi ibique in schola oppidana primis litterarum elementis sum institutus. Inde vero matre mortua anno h. s. XXXXIII. Halas deductus sum in domum Kirchneri, quaestoris scholarum in aedibus Franckianis vernacularum, qui materteram meam habet in matrimonio, et per quattuor annos loco filii ab illo habitus, scholae autem traditus aedium Franckianarum vernaculae. Dein vero anno h. s. XXXXVII. in orphanotrophium Halense recepto contigit mihi per beneficia ab A. H. Francke beato viro largissime instituta, ut septem annos et dimidium cum educarer cura provida tum ampliore litterarum doctrina instituerer. Postquam enim promotus sum anno h. s. XXXXVIII. in scholam Latinam, per annos sex ac dimidium ordines a quinto usque ad primum percurri.

Hoc autem tempore praeceptoribus usus sum viris humanissimis qui in omni genere litterarum, quarum est in gymnasiis disciplina, fundamenta solida iecerunt, quos publica gratiarum actione et decet prosequi et iuvat. Colui autem praeter ceteros God. Boehmium qui nunc gymnasii Tremoniensis prorector constitutus est, Theod. Rumpelium gymnasii evangelici illius quod est in Guestphalia directorem, Rob. Geierum directorem gymnasii Bugenhagiani, Ottonem Nasemannum qui postquam utriusque gymnasii Halensis scholares et historiae studio imbuit et caritate multos sibi devinxit, ne tertiam quidem scho-

lam Franckianam gnavae ipsius industriae et doctrinae elegantis expertem esse passus est; hos porro qui ipsam scholam Latinam augent adhuc studio indefesso ac promovent, Henr. Fischerum, Franc. Oehlerum, Arnoldium (cuius fratrem praematura morte ereptum dolemus quicunque strenua eius disciplina ac sollerti doctrinae genere non inviti sumus eruditi), Scheuerlinum, Weberum professorem mathematicum, Liebmannum, ipsum denique qui scholam moderatur F. A. Eckstein praeceptorem suavissimum, virum humanissimum et optime de me meritum.

Iam instructus testimonio maturitatis migravi in almam Fridericianam, cuius civibus adscriptus sum pridie Kal. Nov. anni MDCCCLIV. rectore magnifico Henrico Leo. Professus genera studiorum theologicum et philologicum Virorum Summe Venerandorum Tholuckii, Hupfeldii, Muelleri, Jacobii, Mollii scholis interfui, seminario etiam exegetico N. T. cui praeest Tholuckius Vir S. V. per biennium adscriptus sodalis; philosophis autem operam dedi Viris Illustrissimis hisce: Erdmanno, Schallero, Leoni, Bernhardyo potissimum, deinde Bergkio, Keilio, Zachero. Seminarii philologici exercitationibus quas moderabantur Bernhardyus et Bergkius Vv. Ill. per triennium interfui sodalis. Denique magistrum artis historiaeque paedagogicae et in scholis et in seminario per annos duos et dimidium colui V. Ill. Kramerum. Iam his viris omnibus qui doctrina sua ac disciplina studia mea sustentarunt gratiam ut me habere profiteor, ita melius in dies spero me esse relaturum.

Studiorum autem tempus quod in academia concessum est vix bene exegeram anno MDCCCLVIII., cum a Kramero viro illustrissimo et benigne pro me sollicito mihi mandatum est, ut pueros in Paedagogio Regio elementa linguarum antiquarum docerem: qua in schola sesquiennio post vicarium pro collega suscepi munus, quo etiamnunc fungor.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Ἀειναῦται Milesii quos perverse tractat Plutarchus quaest. Graec. 32 (p. 298 b) optimates fuerunt qui cum e patria eiecti essent urbe navibus obsessa rerum rursus potiti sunt.

II.

Bellum Persicum neque Ol. 78 neque Ol. 82, 4 aut per Cimonem aut per Calliam certis pacis condicionibus compositum est.

III.

Soph. Phil. v. 227 s. cum Ferd. Schultzio scribendum:

Ἀλλ' οἰκτίσαντες ἄνδρα δύστηνον, μόνον
Ἔρημον ὧδε κἄφιλον κ ά λ ε ο ύ μ ε ν ο ν.

(vulgo fertur *καλούμενον*).

IV.

Ibid. v. 425 scribendum:

Ἀντίλοχος αὐτῷ φροῦδος, ὃ ς π α ρ ῆ ν μ ό ν ο ς.

(vulgo fertur: *ὅσπερ ἦν γόνος;* libri veteres, teste Schol.: *μόνος*).

V.

Eiciendus e scholis Cornelius Nepos.

VI.

Cornelius Nepos quod Milt. c. 7, 3 *procul in continenti* scripsit, Ephori loco (fgm. 107 ed. Marx) *ἐν Μυκόνῳ* neglegenter inspecto legere sibi visus est *ἐν Μυκάλῃ*.